Viro Celeberrimo
Andreae
de Jorio
m.

Fr. Creuzer

DE GYTHEO

ET

LACEDAEMONIORUM

REBUS NAVALIBUS

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS RITE
IMPETRANDIS

SCRIBEBAT

D[r]. GEORGIUS WEBER,

RHENOBAVARUS.

HEIDELBERGAE,

PROSTAT APUD J. C. B. MOHR, ACADEMIAE LIBRARIUM.

MDCCCXXXIII.

MANNHEMII
typis catholici civium hospitii.

Viris

illustrissimis, doctissimis, carissimis

CAROL. FR. HERMANN,

Phil. Dr. Litterarum antiquarum in universit. Marburgensi Professori publ. ord.

ANSELMO FEUERBACH,

Professori Gymnasii Spirensis,

praeceptoribus pie colendis

D. D.

auctor.

Vobis has studiorum primitias consecrans, illud potissimum spectavi, ut animum gratum ob permulta in me collata piaque mente semper colenda beneficia significarem et testificarer, persuasum habens, fore ut rude hoc et imperfectum munusculum, quod crebras per interpellationes horis subsecivis componere atque perficere cogebar, maxima, qua insignes estis, indulgentia accipiatis. Namque munere docendi adstrictus, ut vix paucas horas continuas eadem in re ponere possim, cum alia simul mihi magistri quondam publici munus obituro necessario sint tractanda, ne in exiguo tantum litterarum genere paullulum instructus hinc abeam, eo facilius me indulgentium lectorum impetraturum esse spero. — Ac si cui singulae hujus dissertationis partes minus cohaerere videantur, hac de re paucis dicendum. Nam duobus abhinc annis Philosophorum ordo Universitatis Heidelbergensis postulaverat, publico proposito praemio, ut exhiberetur ex fontibus descriptio et historia Gythei, Laconicae oppidi, monstrareturque, quam vim habuerit hoc navale Spartanorum ad Lacedaemoniorum res universas. Huic argumento ea ratione optime satisfieri

posse putavi, si praeter urbis antiquitates et historiam, quae paucas tantum paginas explere viderentur, navales Lacedaemoniorum res aliquantulum pro viribus perlustrare studerem. Neque laborem meum neque judicium amplissimo Philosophorum ordini prorsus displicuisse, sententia publice lata declarabit: „Qui eo in argumento elaboravit vir juvenis ornatissimus, eam fontium, unde haec notationum sylva repetenda erat, intelligentiam, eam lectionis per subsidia late patentis ubertatem, eam amplissimae materiae disponendae dexteritatem diligentiamque, eam denique judicandi *ἀκρίβειαν* comprobavit, ut multis, qui in hoc stadio adhuc decurrerunt, palmam praeripere videretur. Quapropter Ordo unanimo consensu hunc *ἀγωνιστὴν*, quamvis solitarium, praemio publice proposito condecorandum judicavit."

Caput I.

Urbis portusque Gythei situs et descriptio.

In ora Laconici sinus [1]), quem mare e regione insulae Cytherorum [2]) inter Maleam et Taenarum promontoria format, cujusque in intimo angulo fluvius Eurotas in mare effunditur, vetus Achaeorum urbs Gythium sive Gytheum [3]) sita est. Sub radice montis Taygeti, qui ramos late per Laconicam terram extendit et in extrema ejus parte promontorium Taenarum efficit, prope mare situm, ubi planities ad orientem versus in utraque Eurotae ripa ultra Helum urbem fertiles agros et opima prata [4])

---

1) Quem eam ob rem Plin. hist. nat. IV. 8. (ed. Bip.) Sinum Gytheatem ab oppido appellat.

2) Cythera insula magis tamen ad orientem versus sita est, quam fluvii Eurotae ostium, et accurate peninsulae Onugnatho inter Maleam et Eurotam opposita.

3) Scriptura inter Gythium et Gytheum ubique fluctuat. — Cum *Γύθιον* tum *Γύθειον* Xenophon (Hellen. I. 4. 11. et VI. 5. 32.) et Pausan. (I. 27. 6. VIII. 50. 5. et in lib. III. passim,) exhibent. *Γύθιον* legitur apud Strabonem (VIII. p. 363. c. et 343.), Polybium (II. 69. 11. V. 19. 6.), Diodorum Siculum (XI. 84.), Plutarchum (Philop. 14. p. 364. ed. H.), Polyaenum (II. 9.) et Lucianum (dialog. meritric. XIV. 2.) *Γύθειον* contra apud. Stephan Bizant. s. v. *Γύθειον· πόλις Λακωνική, πολῖται, Γυθεάτης — Γυθείηθεν*, qui laudat Lycophronem (Alexandr. 98.) *κἀπὶ Γυθείους πλάκας* (vulgo tamen *Γυθίου πλάκας*. Mss. fluctuant inter *Γυθίους*, *Γυδίους* et *Γυθύου*. Steph. Byzant. solus affert *Γυθείους* cf. Bachmann ad Lycophr. p. 353.) Equidem, quod et apud Steph. Byzant. et in inscriptionibus numisque, quos infra allaturus sum, cives *Γυθεᾶται* nominantur, (Boekh, c. inscript. p. 649. ed. 1325. et p. 671. ed. 1392.) scripturam *Γύθειον* praetulerim, cui etiam Poppo, prolegg. in Thucyd. I. 2. p. 198. not. 12. adstipulatur. — Apud Latinos quoque scriptores eadem discrepantia occurrit. Cicero Gytheum, Liv. Gythium perhibet, cf. Beier ad Cic. de off. III. 11. p. 268.

4) Strabo VIII. p. 363. c. *εἶθ᾽ ἑλῶδες ὑπέρκειται χωρίον καὶ κώμη Ἕλος.* — Pascuorum bonitatem etiam caseus testatur, in quo praeparando Gytheatae antiquitus insignes fuisse videntur. cf. Lucian. dialog. meretr. XIV. 2. „*τυρὸν Γυθιακὸν.*" cf. Mueller, Dor. II. p. 453. et quem hic laudat, Paciaudi ad psephism. Gytheat. in Monument. Pelop. t. II. §. 4. — Sed vitium quoque culturae Gythei regionem idoneam fuisse Pausan. III. 22. 2. affirmat: *καὶ ἦρος ἀρχομένου τὴν*

praebuisse videtur; hoc oppidum omnia conjungebat commoda, quae populum libertate praeditum atque industriae et mercaturae studiosum et divitem et opulentem reddere poterant. Sed servitutis jugum incolas valde deprimebat, et instituta severa, a peregrinis negotiis aliena, haec situs commoda subverterunt.

Gytheum in dextra Eurotae ripa situm erat [5]) triginta stadiis ab Aegiis [6]), quadraginta ab oppido La [7]) atque ducentis et quadraginta ab urbe ipsa Sparta [8]) remotum.

Hic maxima discrepantia inter Strabonem et Polybium intercedit, cum hic [9]) Gytheum triginta tantum stadiis ab urbe

---

ἑορτὴν ἄγουσιν, ἄλλα τε ἐς τὰ δρώμενα λέγοντες, καὶ ὡς βότρυν ἐνταῦθα ἀνευρίσκουσιν ὡραῖον. — Fertilitatem Heliae regionis, cui Gytheum imminet, indicat Polyb. V. 19. 7., *ἥτις, (Ἑλία) ἐστὶν, ὡς πρὸς μέρος θεωρουμένη, πλείστη καὶ καλλίστη χώρα τῆς Λακωνικῆς.*

5) Non intelligo, quid Reichardum moverit, ut in Geographica sua Peloponnesi tabula (a D. Campio edit. tab. IV. denuo exarata 1822.) urbem Gytheum in sinistra Eurotae ripa et Aegias et Croceas a Gytheo occidentem (Nord-West) versus designaret, cum Strabo disertis verbis ait: VIII. 363. c. *εἶθ' ὁ Εὐρώτας ἐκδίδωσι μεταξὺ Γυθίου καὶ Ἀκραίων* cf. ibid. p. 343. *ἐκδίδωσι (ὁ Εὐρώτας) μεταξὺ Γυθίου τοῦ τῆς Σπάρτης ἐπινείου καὶ Ἀκραίων*, et Pausan. III. 21. 5. *Μετὰ δὲ Κροκέας ἀποτραπεῖσιν ἐς δεξιὰν ἀπὸ τῆς ἐς Γύθιον εὐθείας, ἐπὶ πόλισμα ἥξεις Αἰγίας*, ita ut Croceae ipsae supra Gytheum jacerent necesse sit, et paullo magis ad Occidentem Aegiae, neque vero Croceae in dextra et Aegiae et Gytheum in sinistra fluvii ripa. — Egregie hoc Mueller in Geograph. Pelop. tabula ad calcem libri sui, die Dorier, emendavit. Pausanias enim a septentrione descendit, memorat Croceas, Aegias, Gytheum, deinde ad sinistram pergens Trinasum nominat, Helum, Acrias cet. Num probabile est, Pausan. primum Gytheum — apud Reichard. ad ortum — deinde Trinasum — ad occasum — describere, et a Trinaso ad Helum pergere, Gytheo interposito? — Neque in Philippi, neque in Philopoemenis expeditionibus, quas Reichardus eo modo facilius explicari posse censet, ullas difficultates in nomine Gythei video, si urbem in dextra fluvii ripa, et Trinasum castellum XXX stadiis ad ortum remotum esse statuimus. De urbe Actaeis quam pro Acriis Reichardus apud Strabonem vult legi, nihil habeo quod dicam. — cf. Reichard, explanationes orbis sui terrar. tab. IV. Peloponnesus et Cyclades lit. G. — Fluvias Gythius, quem Pompon. Mela II. 3. (p. 47. ed. Bip.) una cum Eurota memorat in Laconica, et quem Reichard. proximum urbi Gytheo designavit, nusquam alias a me lectus est; quam ob rem rivum tantum eum fuisse arbitror, qui fortasse urbem transiit aut prope eam in mare se infudit. — Mueller eum prorsus omittit.

6) Pausanias III. 21. 6.

7) Pausanias III. 24. 5.

8) Strabo VIII. p. 363. c.

9) Polyb. V. 19. 6. (*Γύθιον*) *τῆς δὲ πόλεως ἀπέχει περὶ τριάκοντα στάδια.*

distare affirmat, qui numerus illius rationi prorsus repugnare videtur, quare nonnulli, ut Muellerus [10]), Polybii *τριάκοντα στάδια* in *τριακόσια στάδια* mutare voluerunt. — Meliorem vero viam Schweighaeuserus [11]) cum Berkelio [12]) ingressus est, cum urbis nomine non Spartam sed oppidum Gytheum ipsum esse intelligendum demonstrat, a quo oppido navale et portus Gytheum triginta stadiis abesset. „Quodsi vero, pergit, hoc dicit Polybius — quam quidem interpretationem pati verba ejus videntur — non repugnabit Strabo et suffragantes Polybius habebit Pausaniam ac Ptolemaeum, quorum ille [13]) triginta stadia a Gytheo abfuisse Trinasum ait, hic vero [14]) Trinasum navale fuisse docet. Quibus ex locis inter se collatis intelligi par est: Trinasum proprium fuisse portus et navalis nomen, sed idem navale cum portu a vicino oppido Gythium etiam vel Gytheum vulgo fuisse appellatum."

Videtur igitur Gytheum, perantiqua sane Peloponnesi urbs, eodem modo exstructum fuisse, quo Thucydides [15]) antiquissimas Graecorum urbes fuisse testatur. Nonnulla aedificia circa arcem, a mari paullum remota vetustissima oppida formarunt, quae deinde, cum mercaturae et commeatui Graeci operam dare coepissent, quocunque modo magis magisque mari conjuncta sunt [16]).

---

10) Mueller Dor. II. p. 452. Die 14 Stunden von Mistra bis Helos bei Gell müssen klein sein, da Gytheion Strabo nur 240 Stadien von Sparta setzt, 30 m. p. die tab. Peuting. — bei Polyb. V. 18. 3. (19. 6.) ist für 30 wohl 300 zu corrigiren.

11) Schweigh. in annotatt. ad Polyb. t. VI. p. 166.

12) Ad Steph. Byzant. s. v. *Γύθειον*.

13) Pausanias III. 22. 3.

14) Ptolem. Geogr. s. v. — *Τρινασὸς ἐπίνειον*. — Situm mathematicum Gythei long. 50° 20′ lat. 35° 61′. Trinasi long. 60° 26′ lat. 35° 10′ Ptolemaeus constituit.

15) Thucyd. I. 7. *αἱ δὲ παλαιαὶ διὰ τὴν λῃστείαν ἐπὶ πολὺ ἀντισχοῦσαν ἀπὸ θαλάσσης μᾶλλον ᾠκίσθησαν*. Quin talis urbs *ἐπὶ θαλάσσῃ δὲ ᾠκισμένη* (Paus. III. 2. 6.) tamen appellari posset, memo dubitabit. — Sic etiam Mannert. Geograph. t. VIII. 593. „Die Stadt lag wohl nicht unmittelbar am Meere, ob sie gleich Ptolem. an dasselbe setzt. Pausan. — — fügt nichts von der Lage der Stadt am Meere bei. (?)

16) Fortasse Minyarum tempore. Non enim opportunus loci situs — fuit ora illa *ἀλίμενος* Xen. Hellen. IV. 8. 7. — incolarum animos ad mercaturam et navigationem impulit, sed populus navigationi jam deditus et industriosus loci difficultates vicit — nam portus fuit *ὀρυκτός*. — Strabo VIII. 363. c. — Eodem modo Athenae ipsae cum

Oppido Gytheo objecta est parva et deserta insula Cranae[17]), cujus jam Homerus mentionem facit[18]), atque tribus ferme stadiis ab urbe rupes erat Argus, cui, quod Orestes ibi sedens a furore liberatus fuisse traditur, nomen inditum est *Ζεύς καππώτας*[19]).

Quae in urbe ipsa Gytheo memoratu digna exstiterunt, Pausanias[20]) commemorat: In foro statuae Apollinis et Herculis, urbis conditorum, et prope eas Bacchi signum. — E regione Apollo Carnius, delubrum Jovis Ammonis sine tecto et aenea Aesculapii statua cum sacro dei fonte; praeterea Cereris sacra aedes, et Neptuni Gaeauchi signum. Etiam portae Castorides ibi memorantur et in arce Minervae templum et signum.

Urbem jam antiquis temporibus validis muris cinctam fuisse, ex Xenophonte[21]) apparet; posteriore aetate „erat valida urbs et multitudine civium incolarumque et omni bellico adparatu instructa"[22]), fortasse, ut et Sparta[23]) a Nabide tyranno magis firmata[24]).

---

mari conjunctae sunt; Piraeus ab urbe quadraginta stadia distabat. Sic Corinthus. — Lechaeum 12 stad., Cenchreae 70 stad. a mari erant remotae.

17) Pausan. II. 22. 2. *Ἡ δὲ νῆσος ἡ Κραναὴ πρόκειται Γυθείου. κατὰ δὲ τὴν νῆσον ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης ἐν τῇ ἠπείρῳ Μιγωνίτιδος, καὶ ὁ τόπος οὗτος ἅπας καλεῖται Μιγώνιον κ. τ. λ.* — Numos quosdam Cranaetarum s. Helenitarum invenies apud Laurent. Begerum: Cranae, insula Laconica a Minyarum posteris habitata. (Coloniae Brandenb. 1696.) Num tamen Atticae insulae Helenae ei sint adscribendi an Laconicae, meum non est discernere. — cf. Böckh, Ueber die Laurischen Silberbergwerke. — Abhdl. der Berliner Akademie 1814—15. Hist. Philol. Cl. p. 110. — et Mueller, Orchom. p. 316. not. 1.

18) Il. III. 445.

19) Vel potius fortasse, ut Sylburg egregie emendat, *Λεὺς* (pro *Λᾶς*) *καππώτας, κατὰ γλῶσσαν τὴν Δωρίδα. Καππώτας* est contractum ex *καταπαύτας* de quo cf. Valkenaer. ad Adoniazus. p 178. et Mueller, Dor. II. p. 525. sq.

20) Pausan. III. 21. 7.

21) Xen. Hellen. VI. 5. 32.

22) Liv. XXXIV. 29.

23) Paus. VII. 8. 3. — Liv. XXXIV. 38. Tyranni nuper locis patentibus planisque objecerant murum. Plura praebet Fr. Hermann. Antiquitt. Gr. §. 49. 5.

24) Id ex Liv. XXXIV. 29. „Erat *eo tempore* valida urbs etc." concludi posse videtur.

De situ et natura oppidi Gythei nihil habeo quod praeterea afferam. Urbs, cum civitatibus Graecorum liberis comparata, tam parvi erat momenti, ut nullus antiquorum scriptorum, quotquot ad nostra tempora pervenerunt, eam dignam haberet, quam diligentius describeret; obiter tantum ab omnibus memoratur, quare pauca praeterea verba de portu dicta sufficient.

Ora Peloponnesi meridiem versus natura nullo portu erat instructa [25]), sed unus ille alicujus momenti apud Trinasum [26]) castellum arte indústriaque incolarum fodiendo fuit paratus [27]). Ceterum hic „omnium maritimarum rerum Lacedaemoniis re-

25) Xen. Hellen. IV. 8. 7. *φοβούμενος τὴν ἀλιμενότητα τῆς χώρας.* — In Messeniae ora est Methone s. Mothone cum navali Phoenico — Paus. IV. 34. 7. — Poppo prolegg. in Thucyd. I. 2. p. 195. — Corona, Pausan. IV. 34. 3. — In Laconica Messa — Pausan. III. 25. 7. Strabo VIII. 364. A. — promontorium Taenarum cum duplici portu Achilleo et Psamathu — Pausan. III. 25. 4. — Scylax p. 37. Steph. Byz. s. v. *ψαμαθοῦς.* — Acriae, (Pausan. III. 22 4.) Asopus, apud Pausan. III. 22. 7. ruinae, apud Strab. 364. a. portus. — Qui portus omnes parvi sane momenti fuerunt, ut jam inde apparet, quod alius ab alio aut memoratur aut omittitur. — Melius instructa fuit ora occidentalis — Pylus cum insula Sphacteria, Thucyd. IV. 8. et orientalis, Epidaurus — Paus. III. 23. 4. sqq. Strabo VIII. 368. b. — quae etiam Limera s. Limenera a portuum (*λιμένων*) multitudine appellata fuisse videtur. Schol. ad Thucyd. IV. 56. Aliter tamen Schol. ad Thucyd. VII. 26. et Etymolog. M. qui *λιμηρός* per *κατάξηρος, ἐνδεής,* a *λιμός,* interpretantur. Zarax, Paus. III. 24. 1. *εὐλίμενον χωρίον.* — Cyphanta — Paus. III. 24. 2. — Plin. h. n. IV. 9. p. 264. ed. Bip. Ptolem. III. 16. — In insula Cytheris — *νῆσος εὐλίμενος* Strabe VIII. p. 363. — fuit urbs Scandea cum egregio portu, ubi naves onerariae ex Lybia et Aegypto appellere solebant, Thucyd. IV. 53. — Paus. III. 23. 1. et urbs ipsa Cythera, Scylax p. 38. — Poppo prolegg. I. 2. p. 201. sqq.

26) Mannert l. l. p. 594. „Der Hafen von Gytheum lag nicht bei der Stadt, sondern 30 Stadien östlich von derselben entfernt. Er war durch Kunst gegraben und befestigt, daher stellt Scylax bei Gytheum ein Hafen und Kastell zusammen. — Strab. VIII. 559. Scyl. p. 17. *Γύθειον· ἐν ᾧ νεώριον καὶ τεῖχος.* — Von diesem entfernten Hafen spricht kein späterer Geograph mehr, weder Ptolem. noch Pausanias, weil es unterdessen zum selbstständigen Orte mit eignem Namen erwachsen war. — *Τρινάσος ἐπίνειον* — Huic vero sententiae obstat quod Paus. III. 22. 3. — *φρουρίου ποτὲ καὶ οὐ* (quod *οὐ* tamen in nonnullis Codd. abest) *πόλεως,* ait. Equidem potius censeo Trinasum nihil unquam aliud fuisse nisi castellum ad portus naviumque tutelam, cui a tribus projectis insulis modo nomen Trinasi modo a vicino oppido nomen Gythei inditum fuisset.

27) Strabo l. l. VIII. c.

ceptaculum" fuisse, praeter Livium (XXXIV. 29.) omnes paene scriptores affirmant, qui ejus mentionem faciunt [28]).

---

28) *Γύθειον* modo *νεώριον*, modo *ἐπίνειον* dicitur; quomodo inter se differunt, optime explicuit Goeller ad Thuc. VII. 22. t. II. p. 255. sqq. Conjunguntur:

a) *νεώριον* et *νεώσοικοι*

b) *ἐπίνειον* et *ναύσταθμον*.

a) *νεώριον* dicebatur universum spatium circa portum, lat. navalia, Schiffswerfte — Seearsenal, ubi partim novae naves aedificabantur, partim veteres per hiemen in sicco stabant = *νεώλκιον*, partim merces mercatorum et res quae ad navigationem pertinebant conservabantur. — Singulae ejus partes erant *νεώσοικοι*, navium receptacula s. tecta, Schiffsdöfen, quarum singulae aut unam aut plures naves comprehendere poterant; cum tectae fuisse videntur vel naves in iis aedificabantur, et restaurabantur, vel per hiemen conservabantur. — *νεώριον* totum, *νεώσοικος* pars erat.

b) *ἐπίνειον* est universa urbs vel vicus, ubi naves exstruuntur et asservantur. Nos: Seeplatz. — *ναύσταθμον* est statio, in qua naves tuto possunt manere (Ankerplatz).

De portus (*λιμένος*) partibus cf. Scheffer de milit. nav. III. 4. p. 210 sqq.

Caput II.

Urbis Gythei historia.

1. Tempora fabulosa usque ad Doriensium irruptionem.

Si quam fidem Cedrenus [1]) meretur, qui regem Lacedaemonem urbem maritimam Gathyniam condidisse narrat, et Meursius [2]) recte suspicatur, Gathyniam eandem esse urbem cum Gytheo, hoc oppidum Lelegum jam tempore conditum fuisse arbitrandum erit [3]). Sed et fabula incolarum, qui Herculem et Apollinem, cum post certameu de tripode Delphis ablato in gratiam redissent, hanc urbem communiter condidisse perhibent [4]), et natura situsque urbis ipsius cum arce, in heroica Achaeorum tempora spectare videtur. Aetate Doriensium irruptionis regiones montis Taygeti pluresque urbes maritimas inde ab Amyclis usque ad Taenarum promontorium a Minyarum gente habitatas reperimus [5]). Inter eas imprimis urbem Gytheum

---

1) G. Cedreni Comp. histor. t. I. p. 120. D. (ed. Paris 1647.) *τοίνυν Λάκων, τὴν ἡμίσειαν χώραν λαχὼν, Λακωνικὴν ἐκάλεσεν· ἧς τριάκοντα τρεῖς χρόνους βασιλεύσας, ἔκτισε πόλιν παράλιον τὴν Γαθυνίαν.*

2) Meurs. Misc. Lacon. IV. 6. p. 267.

3) De rege Lacedaemone cf. Manso, Sp. I. 1. p. 12. sqq.

4) Paus. III. 21. 7. — De hoc certamine valde celebrato per antiquitatem cf. Pausan. X. 13. 4. Apollod. II. 6. 2. c. not. Heynii t. II. p. 180. (ed. II.) Cic. de nat. Deor. III. 16. Schol. ad Pindar. Ol. IX. 45. — In multis artis operibus hoc certamen occurit cf. inprimis Creuzer ad Cic. nat. D. l. l. p. 553. et Symbolik II. p. 247. (ed. prim.) — Mueller, Dor. I. p. 431.

5) Herod. IV. 145. sqq. — *δεξάμενοι δὲ τοὺς Μινύας γῆς τε μετέδοσαν καὶ ἐς φυλὰς διεδάσαντο.* Conon narrat. 36. cf. Strabo VIII. p. 364. d. — *Φιλόνομος Σπαρτιάτης προδοὺς Λακεδαίμονα Δωριεῦσι, δῶρον ἔχει Ἀμύκλας καὶ συνοικίζειν ταύτην ἐξ Ἴμβρου καὶ Λήμνου.* — Num vero, cum Amyclas Dorienses paullo demum ante bella Messeniaca subjecisse videntur, Minyae ab Achaeis an a Doriensibus sunt excepti? Mueller, Orchom. p. 313. sqq. — „Bevölkerten also Minyer von Lemnos und Imbros den Amykläischen Nomos, so wohnten sie unter

fuisse et ex natura indoleque Minyarum navigationi atque navalibus rebus indulgentium [6]) et ex multis aliis documentis satis liquet [7]). — A Minyis artificibus [8]) et portus habuit originem, et ab iis aliquas religionum partes cum vetere Achaeorum cultu deinde commixtas, derivemus necesse est. — Sacra igitur Gytheatarum in duas potissimum partes dividi possunt:

A. *Sacra veterum Achaeorum aut aliunde quam a Minyis illata.*

α) *Minerva.* Minervam Poliada non solum ab Atheniensibus sed a permultis aliis civitatibus cujusque originis apud Graecos cultam esse, constat. Pelasgorum veterum et Atheniensium imprimis numen [9]), et a Doriensibus [10]) et ab Aeolensibus colebatur, ejusque fanum plerumque in urbis arce exstructum erat. Achaei vero cum cognati essent et ejusdem gentis cum Aeolensibus [11]) nihil, opinor, obstat, quominus etiam his cultum hujus Minervae vindicemus et illam *Ἀθηνᾶν*, cui in arce Gythei aedes fuit, *Ἀθηνᾶν Πολιάδα* fuisse censeamus, quae olim a veteribus urbis incolis culta sit.

β) *Apollo.* Duplex Apollo apud Gytheatas cultus distinguendus videtur, *Apollo conditor* et *Apollo Carneus.* — Ille per

---

den Achäern, und waren von Achäern aufgenommen worden, nicht aber von Dorern." (ib. 321.) Errat in nomine Plut. virt. mul. p. 272. ed. Hutt. cf. Manso I. 1. p. 62 et 65.

6) Mueller, Orchom. p. 316. „das Seevolk der Minyer nahm also vorzüglich Seeorte in Besitz." cf. p. 60. 285. sqq. et passim.

7) Quae omnia collegit Begerus l. l. qui p. 19. jam Jasonem ceterosque Argonautas in insulam Cranaen Gytheo urbi objectam escensionem fecisse ibique aliquamdiu remansisse arguit, ita ut Minyae posteriores ex insula Imbro et Lemno majore jure quam quod apud Herodot. l. l. afferunt, patres suos in Laconica quaesisse videantur. — cf. Mueller, Orchom. p. 316. not. 1.

8) Pausan. IX. 36. 3. — Mueller Orchom. passim v. g. p. 60. 92. cet.

9) Creuzer, Symbol. II. p. 404. — qui laud. Hemsterhus. ad Aristophan. Plut. 772. p. 360. 61. — Baehr de Appolline patricio et Minerva primigenia Atheniensium (Heidelbg. 1820) p. 4. — Mueller Minervae Poliadis sacra et aedes in arce Athenarum (Gotting. 1820) p. 2. sqq. — et ejusdem Aeginet. p. 69. 70.

10) Lacedaemone erat templum *Ἀθηνᾶς Πολιούχου* Paus. III. 17. 3. cf. 5. 5. et Baehr l. l. p. 6. — Contra Herodot. V. 72. *οὐ θεμιτὸν Δωριῆα παριέναι ἐνταῦθα.* fuitne igitur hic cultus Lacedaemone ex Achaeorum temporibus? — Plura apud Mueller, Aegin. p. 69. sqq.

11) cf. Fr. Hermann, Griech. Staatsalterthümer §. 8. Note 10.

Dorienses fortasse in Peloponnesum pervenit, cum si Muellerus[12]) recte sentit, *Ἀπόλλων δωματίτης* et *οἰκιστὴς* a Pythio Apolline ductore — *ἀρχαγέτᾳ* — qui Heraclidas in Peloponnesum redire jussit, non diversus videtur. Hunc igitur cultum veteres Gythei incolae a victoribus assumserunt eique numini in illorum sane honorem una cum Hercule, Achaeorum et Doriensium communi heroe urbis suae originem adtribuere. — Cultus contra Carnei Apollinis, magnopere per totam Peloponnesum divulgatus[13]), et ipse ex duobus Apollineae religionis ramis constiterit, necesse est. — Pausan. enim docet[14]) Apollinis Carnei cultum Doriensibus proprium ac communem esse, et originem a Carno, Acarnane vate duxisse. Quem cum Hippotas, Philantis filius, ex Herculis stirpe[15]) in Doriensium transitu ex Naupacto interfecisset, Apollinem pestem in exercitu excitasse; quam Dei iram ut Dorienses deinde placarent, ex hoc tempore Carneum Apollinem coluisse. — Eandem fere narrationem praebent: Apollodorus[16]), Conon[17]), Schol. ad Callimachum[18]), Pindarum[19]) et Theocritum[20]), Clem.

---

12) Mueller Aeginet. p. 150. — cf. Dorier I. p. 250. — Plura praebet Baehr l. l. p. 2. sqq.

13) Gythei, Paus. III. 21. 7. La; ibid. 24. 5. Leuctris, III. 26. 3. Cardamylae, III. 26. 5. cf. Polyb. V. 19. 4. — Argis, Schol. ad Theocrit. V. 83. Sicyone, Paus. II. 10. 2. et 11. 2. in Messenia apud Oechaliam et Pharas, Paus. IV. 31. 1. 33. 5.

14) Paus. III. 26. 5. — *καὶ Ἀπόλλων ἐστὶ Καρνεῖος, καθὰ Δωριεῦσιν ἐπιχώριον* et III. 13. 3. *Καρνεῖον δὲ Ἀπόλλωνα Δωριεῦσι τοῖς πᾶσι σέβεσθαι καθέστηκεν κ. τ. λ.*

15) Alii ut Schol. ad Callim. hymn. in Apoll. v. 71. eum ab Alete, Hippotae filio interfectum esse tradunt. Sic quoque Schol. ad Pind. Pyth. V. 101. de stirpe cf. Heyne ad Appollod. II. 8. 3. p. 207. (ed. II.)

16) Biblioth. II. 8. 3. — Omittit tamen nomen vatis, et originem Carneorum inde ductam.

17) Conon narrat 26. apud Bekker. Phot. p. 135.

18) Hymn. in Apollin. v. 71.

19) Schol, ad Pind. Pyth. V. 101. (t. II. p. 383. sq. ed. Boeckh.) Eadem fere narratione allata, pergit: — *θέλοντες οὖν ἐξιλεώσασθαι τὸν θεὸν ἐποίησαν αὐτῷ ἑορτὴν καλέσαντες αὐτὴν ὡς ἀπὸ τοῦ Κάρνου Καρνείαν. ἐξ ἧς καὶ τὸν Ἀπόλλωνα ἐκάλεσαν Καρνεῖον.* — — cf. Isthm. VII. 18.

20) Schol. ad Theorit. Id. V. 83. — — *Κάρνεα δὲ ἑορτὴ Ἀπόλλωνος Καρνείου, ἀπό τινος Κάρνου κ. τ. λ.* — — — — Alia narratio apud eundem Schol. cujus auctorem Theopompum affert, est: Carnum, ab Heraclidarum axercitu abientem in Peloponnesum, ab iis tanquam speculatorem interfectum esse.

Alexandrin. [21]) et Eusebius [22]). — Contra idem Pausanias [23]) commemorat: Jam ante Peloponnesi occupationem per Dorienses Apollinem *Οἰκέταν* ab Achaeis in domo vatis Crii fuisse cultum, a quo quum Heraclidae audivissent, quomodo Sparta facillime posset occupari, deinde hunc Apollinem colere coepisse [24]). — Sive cum Muellero [25]) statuas Aegidas, Thebis per Boeotos expulsos, jam ante Heraclidarum irruptionem hunc cultum Amyclas transtulisse, sive veteres Achaeos eum veneratos esse malis arbitrari: hoc quidem certum est, Apollinis Carnei religionem jam ante Doriensium tempora in Peloponneso exstitisse, ejus vero cultum — cum antea *Οἰκέτας*, i. e. domesticus s. privatus fuerit Deus — per illos demum, cum peculiari — fortasse Acarnanio — ramo ejusdem religionis [26])

---

21) Strom. I. p. 399. 33. Pott. *Κρῆνος* (scrib. *Κάρνος*) *εἷς τῶν Ἡρακλειδῶν, ἐπιφανὴς μάντις.*

22) Praeparat. Evang. IV. 20. p. 210. — cf. Marx ad Ephori frgm. I. 14. p. 105. et Etymolog. M. s. v. *Ἀλήτης.*

23) Paus. III. 13. 2.

24) In Achaeorum tempora etiam ducunt Sicyonii ejusdem Dei sacerdotes, Mueller. Orchom. p. 332. Paus. altera narratio III. 13, 3. Lignum Trojani equi ex Apollinis Carnei luco in monte Ida fuisse. Alcmanis apud Schol. ad Theocrit. l. l. *ἀπὸ Καρνίου τινὸς Τρωικοῦ* et Demetrii apud eundem: *ἀπὸ τοῦ κραίναι, ὅ ἐστι τελέσαι. Φησὶ γὰρ ὡς ὁ Μενέλαος στρατεύσας εἰς Ἴλιον, ηὔξατο τιμῆσαι αὐτον, ἐὰν κραίνῃ.*

25) Mueller. Orchom. p. 329. sqq. — Cultus originem a Cadmeonibus testatur Praxillae fabula apud Paus. III. 13. 3. „*ὡς Εὐρώπης εἴη Καρνειὸς, καὶ αὐτὸν ἀνεθρέψατο Ἀπόλλων καὶ Λητώ* cf. Schol. ad Theocrit. l. l. *Πραξίλλας μὲν ἀπὸ Καρνείου φησὶν ὠνομάσθαι τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης υἷου ὃς ἦν ἐρώμενος τῷ Ἀπόλλωνι.* cf. Hesych. *Καρνεῖος.* — Aegidas ante Doriensium invasionem in Peloponnesum venisse, Mueller. p. 333. ex Ephori narratione apud Schol. ad Pind. Pyth. V. 101. — I. 13. p. 105. ap. Marx, qua Heraclidae jam in prima expeditione, Hyllo duce, Aegidas auxilio advocassent, arguit.

26) Paus. III. 20. 9. dicit: „*καὶ Καρνείου τέμενος κατὰ τὴν ὁδὸν, ἐπίκλησιν Στεμματίου;* quocum Grammatici verba: *Στεμματιαῖον, μίμημα τῶν σχεδιῶν αἷς ἔπλευσαν οἱ Ἡρακλεῖδαι τὸν μεταξὺ τῶν Ῥίων τόπον* apud Bekkeri Anecdott. G. t. I. p. 305, conferenda sunt. Cum ejusmodi navigia postmodum diebus festis, quibus *Στεμματιαῖα* nomen esset, coronis ornata publice proposita esse Mueller. Dor. I. p. 60. docet, qui dies festi iidem fuisse videntur ac *Καρνεῖα*, in Muelleri sententiam (Dor. p. 61.) inire minime dubito: Was sich daher um die Naupactische Ueberfahrt dreht, möchte ein anderer, vermuthlich Acarnanischer, Zweig der Apolloreligion sein, der sich aber hernach mit den Karneen amalgamirte. — Nomen *Καρνείου Δρομαι(έ)ος* cujus inscriptio apud Boekh. c. inscr. nr 1446. p. 684. mentionem facit

commixtum, publicum fieri incepisse. — De festis Carneorum alii jam sufficienter disputarunt[27]).

γ) *Neptunus Taenarius.* Vetus erat fabula, Apollinem cum Neptuno insulam Calauream permutasse, accepta ejus loco Delo, eodemque tempore Taenarum maripotenti dedisse sibique Delphos sumsisse[28]). Sunt igitur, concludit Muellerus[29]), sacra Neptunia ea, quae inter omnia fere plurimum vagata, omnium postremum sedes certas nacta, et ubi consederunt, non Jovialibus antiquiora, sed omnium sunt novissima. — In Taenaro, ut in Calauria insula prius Solem Marinum cultum fuisse, jam Homerus docet[30]), at postea celeberrimam Neptuni sedem eodem invenimus et templum ejusdem Dei asyli sanctitate inclitum[31]). Hanc memorabilem cultus permutationem eo tempore, quo Jones Sicyonem (Aegialeam) et illam oram, quam Acten vocarunt, occupare coepissent, accidisse, Muellerus[32]) acute suspicatur. Quin ab iis hunc novum cultum etiam ceteri

---

alias legere non memini. cf. etiam Marx ad Ephor. frgmta I. 14. p. 104. sqq. — Nomen Dei derivat Schol. ad Theocrit. l. l. *ἀπὸ τοῦ κραίνειν*, cui adstipulatur Manso Sp. I. 2. p. 218. Melius Mueller. Orchom. p. 332. not. *κράνος*, galeam, in mentem fert, qua Amyclaeus quoque Apollo ornatus fuit, (Mueller Dor. I. p. 358.) et laudat ob transpositionem litterarum Valken. ad Adoniazus. p. 318. a.

27) cf. Inprimis Manso, Sp. I. 2. p. 214—219. — Mueller, Dor. I. p. 355. sqq. cf. p. 60. 130. II. p. 248. 1. 317. 4. 320. 3. — Sturz: Hellanici Lesbii fragmentà (ed. II. Lips. 1826.) p. 87. et alii.

28) Strabo VIII. p. 373. fin. et 374. init. — Callim. frgmta. 221. p. 521. Ern. — Schol. in Apollon. Rhod. III. 1243. *καὶ ἡ Καλαύρια δὲ ἱερά ἐστι Ποσειδῶνος. — — Ἦν δὲ πρότερον μὲν Ἀπόλλωνος, ἡ δὲ Πυθὼ Ποσειδῶνος, καὶ ἀντήμειψαν ἤγουν κατήλλαξαν.* — cf. Schol. ad Aesch. Eum. 27. — Vales. ad Harpocrat. s. v. *Καλαύρεια* p. 334. (ed. Lips. 1824.) Plura apud Marx ad Ephor. frgm. IV. 59. p. 160. sqq. — Hüllmann, Anfänge der Gr. Geschichte p. 71—74. et p. 184—188.

29) Aeginet p. 25—39. ——— Singularis autem Neptuno intercedebat necessitudo cum Sole. ——— Etiam Athenis in sacris Butadarum religiones Solis cum Neptuniis conjunctae sunt.

30) Hymn. in Apoll. v. 411.

31) Hüllmann l. l. p. 63. sqq. „Daher sind die übrigen (Apollinischen Orakel), im Peloponnes vorhanden gewesenen, entweder von ankommenden überlegenen Völkerschaften unterdrückt worden (Neptunische) oder fortgezogen," :c.

32) Aeginet. p. 29. „Jones, quoquo deveniunt, sacrorum Neptuni statores." Creuzer Symbol. IV. p. 373. sqq.

Peloponnesii, ut Achaei [33]), Elei et Triphylii [34]) receperint quis dubitabit? — Sed Jones solos Neptuni cultus auctores exstitisse, ita ut, ubicunque Neptunia occurant, ea loca aut ab Jonibus quondam habitata aut incolas certe cum illis quodam modo conjunctos fuisse statuendum sit, minime censeo. Arbitror potius cultum alicujus Dei marini jam inde ab antiquissimis temporibus apud omnes homines, qui terras mari adjectas habitarent, exstitisse, qui cultus deinde commercio cum Jonibus navigationi, mercaturae navalibusque omnino rebus indulgentibus, et nomen et attributa illorum Neptuniorum acceperit, ita ut religio hujus Solis Marini aliorumque hujusmodi antiquiorum numinum non interiret, sed cum novis Neptuni sacris sensim sensimque in unum communem cultum transiret et postea, cum haec conjunctio exstincta esset, hae fabulae exsisterent. — Tali modo Jones etiam in Taenaro ejusque vicinia et auctores et cultores Neptuniorum fuisse, minime negaverim [35]). Haud raro fortasse evenit, ut praeter hunc novum cultum etiam ille antiquior ab incolis pie servaretur, ut senex iste Gytheatarum, quem Pausanias [36]) Nereum vult intellectum, ad antiquissima tempora spectare videtur.

B. *Numina, quae Minyae videntur intulisse.*

α) *Ceres.* Cereris sacra — *θεσμοφόρια* [37]), *τελετή* — per Danai filias in Peloponnesum illata, post ejus occupationem per Dorienses ab Arcadibus solum servata esse, Herodotus do-

33) Pellenenses, Patrenses, Aegaei, Aegienses, Heliconii. cf. Mueller, Aegin. p. 29.

34) Hic Samicum, ubi templum Neptuni Samii, cui ut in Panionio omnes contribuunt Triphylii. — Mueller, Aegin. p. 30. cf. Orchom. p. 360.

35) Omnino Lacedaemonii — i. e. Laconicae incolae — „scite utique et pie coetum istum numinum marinorum congregaverant" Mueller Aeginet. p. 168. — Sic incolae vici Hypsi Dictynnam coluerunt, Paus. III. 24 6. — de qua cf. Mueller, Aeginet. p. 163. sqq. — et prope Spartam est templum Britomartidis Cretensium, Paus. 12. 2. — Mueller l. l. Creuzer, Symb. II. p. 141. Teuthronae Isoria colebatur, Pausan. III. 25. 3.

36) Paus. III. 21. 8. *Ὃν δὲ ὀνομάζουσι Γυθεᾶται Γέροντα, οἰκεῖν ἐν θαλάσσῃ φάμενοι, Νηρέα ὄντα εὕρισκον κ. τ. λ.*

37) Creuzer Symbol. IV. p. 475. sqq. Herod. II. 171. Aug. Wellauer, de Thesmophor. (Vratist. 1820.)

cet [38]), quam ob rem valde miraremur hunc cultum in Laconica et in illis potissimum regionibus, quae Taygeto monti subjacent, reperiri, nisi nossemus Minyarum gentem has sedes diu habitasse. Achaeos enim, heroicum genus, ut Dores ipsi, secreto Cereris terrestriumque numinum cultui operam dedisse non probabile est. Minyas vero illasque Pelasgiorum gentes quae circa lacum Copaidem olim sedes tenebant, deinde in insulis Lemno, Imbro et Samothrace reperiuntur, imprimis Cererem, et illum divorum coetum, qui Cabirarum nomine dicitur, coluisse, certissimum est [39]). Minyae igitur et Cereris et Proserpinae [40]) et Inus [41]) sacrum cultum in illam Laconicae partem intulerunt. — Gytheatas etiam mysteriis plerumque cum Cereris religione conjunctis, operam dedisse, minime negaverim. Nam si mysteria nihil sunt, nisi religio publica veterum incolarum, quae postea, cum per novos advenas omnes res mutarentur, in secreto tantum valebat [42]), nihil est, quod

---

38) Herodot. II. 171. *αἱ Δαναοῦ θυγατέρες ἦσαν αἱ τὴν τελετὴν ταύτην ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγαγοῦσαι καὶ διδάξασαι τὰς Πελασγιώτιδας γυναῖκας· μετὰ δὲ ἐξαναστάσης πάσης Πελοποννήσου ὑπὸ Δωριέων ἐξαπώλετο ἡ τελετή· οἱ δὲ ὑπολειφθέντες Πελοποννησίων, καὶ οὐκ ἐξαναστάντες Ἀρκάδες διέσωζον αὐτὴν μοῦνοι.* — Haec verba ad unum tantum Arcadum populum referenda videntur, cum, si *et* reliquiae veterum incolarum Laconicae, Argolidis cet. *et* Arcades hic essent intelligendi, ut Mueller, Dor. I. p. 399. et Orchom. p. 453. opinatur, meo sensu, articulus ante *οὐκ ἐξ.* abesse non posset.

39) Mueller, Orchom. passim; in specie p 124. „Ihr Hauptdienst, der der Kabiren, hatte in dem Kabirion von Theben einen seiner ältesten Sitze." — prae ceteris p. 437—463.

40) Paus. III. 20. 5. *οὐ πόῤῥω δὲ τῶν ἄκρων τοῦ Ταϋγέτου Δήμητρος ἐπίκλησιν Ἐλευσινίας ἐστὶν ἱερόν.* et ib. 6. *ἐκ τούτου δὲ τοῦ Ἕλους ξόανον Κόρης τῆς Δήμητρος ἐν ἡμέραις ῥηταῖς ἀνάγουσιν ἐς τὸ Ἐλευσίνιον*, cujus nomen jam in lacum Copaidem, ubi antiquissima Eleusis quaerenda est, ducit. — cf. Mueller, Orchom. p. 57. sqq. et 128. — Hesych s. v. *Ἐλευσίνια· ἀγὼν θυμελικὸς ἀγόμενος Δήμητρι παρὰ Λάκωσι.* — De intima Cereris cum Proserpina necessitudine, Creuzer Symbol. IV. p. 10. sqq. et p. 236. sqq.

41) Paus. III. 23. 5. et 26. 1. De ejus conjunctione cum Minyis, Mueller, Orchom. p. 161. sqq.

42) Mueller, Orchom. p. 453. „Denn jedesmal gehört zur Entstehung eines Geheimdienstes, daß ein uraltes Pelasgisches Volk früher seine Gottesverehrung, — — — frei und öffentlich geübt, später aber, als Achäer oder Dorer oder Böoter eindrangen, und eine gänzliche Umwandlung aller Götterdienste geschah, unterdrückt, im Geheim erhalten habe, bis sie im Laufe der Jahrhunderte nach und nach wieder hervortritt und Ansehen gewinnt.

impediat quo minus Gytheatis ea tribuamus, cum a Doriensibus Cereris ceterorumque numinum terrestrium cultus et negligeretur et impediretur [43]).

β) *Aesculapius.* Aesculapii quoque cultus in illis Taygeti regionibus identidem reperitur [44]), et ejus origo etiam ad Minyas referenda videtur. — Etenim — si Muellerus recte judicat [45]) — Aesculapius potissimum a Phlegyis circa Dotium et in Magnesia colebatur, qui Minyis cognati atque eadem stirpe oriundi erant, quam ob rem Aesculapius cum horum quoque sacris arcte conjunctus est [46]). A Phlegyis eadem religio Epidaurum venit [47]), et illorum cum incolis Laconicae conjunctionem fabula indicat, qua Euphemus, Phlegyarum heros, filius nuncupatur Doridis, Eurotae natae [48]). Dorienses Aesculapium non valde colebant, iis exceptis civitatibus, quae ut Cos, Rhodus et Cnidus ab Epidauriis ejus religionem assumserunt.

γ) *Dionysus.* De Dionyso, jam intime cum Cabiris juncto nihil est, quod praeterea afferam. Prasiotae narrabant [49]): Ino errantem in suam terram venisse, ibique Dionysi, in cista ad oram illam appulsi, nutricem esse factam. Ino vero cum Minyis nauticis arctissime cohaerere, jam indicatum [50]).

---

43) Herodot. II. 71. Mueller, Dor. I. p. 399. — Mysteria Gytheatarum confirmant potissimum vicinae Heli Eleusinia et ipsa fortasse Pausaniae verba: *Δήμητρος ἱερὸν ἅγιον* III. 21. 7.

44) Ut Pellanae, Paus. III. 21. 2. Gythei, ibid. 7. Prasiis, Paus. III. 24. 4. cf. Wachsmuth Hellen. Alterthumskunde II. 2. p. 173.

45) Orchom. p. 198. sqq.

46) Mueller l. l. p. 201. — — — Es kann über die ursprüngliche Einheit des Asklepios der Phlegyer und des Trophonios der Minyer auch nicht mehr der leiseste Zweifel obwalten, cet. de cognatione utriusque populi idem p. 184. sqq.

47) Paus. II. 26. 4. *Ἀσκληπιοῦ δὲ ἱερὰν μάλιστα εἶναι τὴν γῆν, ἐπὶ λόγῳ συμβέβηκε τοιῷδε· Φλεγύαν Ἐπιδαύριοί φασιν ἐλθεῖν ἐς Πελοπόννησον* cet.

48) Mueller, Orchom. p. 315. et ibi not. 3. citt. ll. cf. p. 306. not. 2 et 3. — Inter Cabiros eum quoque fuisse Creuzer, Symbol. p. 148 et 336. sqq. confirmat.

49) Paus. III. 24. 3.

50) Mueller, Orchom. p. 173. sqq. Etiam per Aegidas Cadmeones, qui ut vicini Thracum illorum fabulis valde celebratorum Dionysi religionem — quamvis ab illa Minyarum diversam — ab iis acceperunt, et qui haud parvam Laconicae partem diu habitabant, hujus cultus origo in Peloponnesum venire poterat. — Optime de hac re egit Mueller, Orchom. p. 382. sqq.

δ) Jupiter Ammon. Ammonios, Aegyptiorum et Aethiopum colonos, ex Thebis Aegyptiorum Jovis arietino capite religionem secum tulisse, Herodotus memorat [51]), — sed nusquam legere memini, hoc numen jam antiquo tempore in Graeciam transiisse, ibique, Graeca fortasse veste indutum, continuo cultum esse [52]). Antiquissimus Graecorum scriptorum, qui Jovem Ammonem celebrat, est Pindarus [53]), qui et ipse certissima nobis vestigia praebet, unde hic Deus in Graeciam transierit. Cyrene enim colonia Aegidarum et Minyarum ex Thera [54]), Thebarum veteribus incolis erat cognata, ex quibus — forsitan nobiles [55]) — multi etiam sub Boeotorum imperio in patria remansisse videntur, cum et Pindarus ipse se ab Aegidarum stirpe ortum esse gloriatur [56]). Cyrenaici vero, mercaturae studiosus populus, qui cum vicinis Libyis versabantur, quis dubitabit quin Jovem Ammonem ab iis receperint [57]) ? Eandem ob causam etiam Lacedaemonii imprimis Jovem Ammonem

---

51) Herodot. II. 42. — — *ἀπὸ τούτου κριοπρόσωπον τὤγαλμα τοῦ Διὸς ποιεῦσι Αἰγύπτιοι· ἀπὸ δὲ Αἰγυπτίων Ἀμμώνιοι, ἐόντες Αἰγυπτίων τε καὶ Αἰθιόπων ἄποικοι.* cf. IV. 181. et II. 55. et interprett. ad Hesych. s. v. *Ἀμμοῦς.*

52) Quod Herodotus, omnia ex Oriente deducens, profecto non oblitus esset. — Suid. quidem eum Graecum Deum appellat, sed, ut jam Kuester observat, ea appellatione *ἐθνικόν* tantum numen intelligit. — Qui igitur Ammonis cultum in antiquiora tempora — ut Marmor Parium ep. 22. in aetatem Thesei — removent, graviter mihi errare videntur. Narratio quoque de origine Oraculi Delphici et Ammonii eodem tempore ex Aegypto, e seriori demum aetate originem ducit. Herodot. II. 55. sqq. Schol. ad Soph. Trach. 172. et plura apud Heeren, Ideen II. p. 462. cf. Mueller, Orchom. p. 110. sqq.

53) Pind. Pyth. IV. 14. sqq. *Διὸς ἐν Ἄμμωνος θεμέθλοις.* ibique Schol.

54) Herodot. IV. sqq. Pind. Pyth. IV. — Callim. h. in Apollin 74. cum interprett. Justin XIII. 7. Strab. XVII. p. 837. — Schol. ad Pind. Pyth. IV. 16. — funditus hanc rem tractavit Mueller, Orchom. p. 313. sq.

55) Explic. Boekh. in Pind. l. l. t. III. p. 289. „Aegidae vero Pindari parentes sunt, non illi, qui Spartam abierunt, sed qui Thebis remansere." Ubique nobiles nobiles exceperunt.

56) Pyth. V. 74. sqq. *ἵκοντο Θηράδε φῶτες Αἰγεΐδαι — ἐμοὶ πατέρες οὐ θεῶν ἄτερ. κ. τ. λ.* — et Boekh. explicat. l. l.

57) Paus. 10. 13. 3. Hanc ob rem etiam monetae Cyrenaicae exstabant, arietis capite insignitae cf. Hesych. s. v. *Βάττου σίλφιον* — — *ὥστε καὶ ἐν τῷ νομίσματι ὅπου μὲν Ἄμμωνα, ὅπου δὲ Σίλφιον ἐγκεχαράχθαι*, ubi interpr. Omne Cyrenensium cum Aethiopibus commercium per Ammoniorum terram fiebat, quam ob rem hos quoque modo adularentur necesse est; cf. Mueller, Orchom. p. 359.

colebant, et crebro ejus oraculum consultabant [58]), quae veneratio inde a Lysandri aetate augebatur [59]). Quid igitur verisimilius est, quam Ammonis cultum Gytheatas itidem a Cyrenaicis accepisse, quibuscum cognatione jam conjuncti, etiam continuo commeatu fruiti esse videntur, cum Gythei sedes fuerit omnis commercii quo Lacedaemonii nunquam prorsus carere poterant? —

Priusquam incerta Achaeorum et Minyarum tempora relinquam, pauca verba de Tarenti origine [60]) afferenda putavi. Nam ceterae coloniae, quae e Laconica terra abierunt, vel jam funditus tractatae sunt, vel parum cum nostro proposito cohaerent.

De Partheniis, qui Tarentum condidisse traduntur.

De Tarenti origine Strabo [61]) duplicem affert narrationem; alterius est Antiochus auctor, qui ait: Lacedaemonios, bello Messeniaco finito eos, qui castra sequi noluissent, lata sententia servos, Helotum nomine ac conditione, judicasse, eorumque liberos, qui bello durante fuissent nati, ignominia affectos (ἀτίμους), Parthenias appellasse. Hos vero graviter rem ferentes, cum numero valerent, insidiatos esse populo, duce quodam Phalantho, atque constituisse ludis Hyacinthiis [62]) in Amyclaeo commissis, in Spartanos impetum facere. — Sed detecta conspiratione Phalanthum oraculo consulto, Partheniis ceteris assumtis, in Italiam migrasse, ubi a barbaris et Cretensibus, qui loca ista habitarent, recepti essent.

---

58) Böckh, Staatshltg. II. p. 268. „Aus eben demselben Grunde befragten die Spartaner von Alters her das Orakel des Ammon mehr als die andern Hellenen; Ammons Verehrung daselbst ist sehr alt."

59) Plut. Lys. c. 20 t. III. p. 158. ed. Hutten. cf. Paus. III. 18. 2.

60) De origine tantum dico; nam Tarenti historia, quam praeter Lorenz, Dissert. de orig. vett. Tarentinorum Berl. 1827. 8. — quem libellum mihi inspicere non licuit — Heynius in opusc. academ. II. p. 214—223. et Mazochi, Comment. in aeneas tabb. Heracleensium c. IV. p. 89—99. cf. Raoul-Rochette III. p. 235—38. et Mueller, Dor. I. p. 125. sqq. sufficienter tractarunt, mea opera non eget.

61) Strabo VI. p. 278. b. — 280. b.

62) De his ludis cf. Manso, Sp. I. 2. p. 203—209. Ei profecto originem a veteribus incolis duxerunt, hocque igitur tempus isque locus, veteris libertatis memoria, Phalanthi conatui aptissimus. Mueller Dor. I. p. 354. sqq.

Hanc narrationem praefert Manso[63]), atque suspicatur, hos Parthenias fuisse posteros veterum Achaeorum, qui militiam detrectassent, quum semper periculorum, nunquam vero gloriae participes fierent. Altera narratio Ephorum habet auctorem: Lacedaemonios, cum Messeniis bellum fuissent illaturi, jurejurando se obligasse, ut aut Messenia expugnata, victores reverterentur aut universi in oppugnatione occumberent, relictis ad urbem custodiendam senioribus et junioribus. — Decimo autem belli anno uxores Lacedaemoniorum, graviter ferentes, quod tamdiu a maritis separatae essent, quasdam ex suis in castra misisse, quae illos reprehenderent quod viduis uxoribus domi relictis patriam viris vacuam fieri paterentur. Illos deinde robustissimos inter milites atque aetate minimos, ideoque jurijurando nondum adstrictos Spartam misisse, iisque mandasse, ut cum omnibus omnes virginibus rem haberent, eo copiosiorem ratos inde subolem exstituram. Hos deinde liberos, hoc modo natos, Parthenias i. e. virginum filios ex patribus incertis esse appellatos. — Spartanos vero nono denique anno post Messeniorum finibus occupatis et divisis, domum reversos, Parthenias non eo, quo alios, honore dignatos esse utpote non ex conjugio natos: itaque Parthenias, re cum Helotibus communicata insidias Spartanis parasse, sed rei indicio ab Helotibus quibusdam delato, Spartanos, conjuratorum magnam vim timentes, iis permisisse, ut aliquo in coloniam abirent, ea conditione, ut ne reverterentur si regionem sibi sufficientem essent nacti, sin vero, ut reversi quintam agri Messenii partem obtinerent. Sic Parthenias profectos Tarentum tandem condidisse[64]).

Tempus, quo Tarenti origo ponenda sit his narrationibus certe firmatur. Nam finis belli primi Messeniaci cadit in annum primum Ol. XIV. (a. Chr. 724 et 23.), quare Eusebio, qui

---

63) Sparta I. 1. p. 229. sqq. et 2. p. 275—281.

64) Eandem narrationem confirmant Justin. III. 4. — Diod. Sic. XV. 66. ubi Wesseling (t. VI. p. 655.). — Plures laudat Marx ad Ephor. fragmenta IV. 53. p. 156. Ceterum memorabile est, quod Ephor. s. fin. hujus narrationis dicit: *Οἱ δὲ σταλέντες κατελάβοντο τοὺς Ἀχαιοὺς πολεμοῦντας τοῖς βαρβάροις· μετασχόντες δὲ τῶν κινδύνων κτίζουσι τὴν Τάραντα.* Ergo Partheniae ad cognatos fugerunt.

Tarentum Ol. XVIII. 2. (a. Chr. 707.) conditum esse docet, suffragari non dubito[65]).

Conditionem vero Partheniarum, allatis narrationibus diffisus, aliter explicare conabor. Diod. enim Sicul.[66]) Tarenti conditores *ἐπευνακτάς* appellat, quocum si Athenaei locum[67]) contuleris, ubi affirmat, in bello Messen. relictos Spartanos, ne urbs vacua fieret, in occisorum lectis Helotas quosdam collocasse, quos postea cives factos *ἐπευνάκτους* esse vocatos; et narrationem Polybii[68]) simillimam de Locrorum Epizephyriorum origine, quae etiam cum bello Messeniaco arcte cohaeret, mihi fortasse adstipularis, Parthenias illos fuisse posteros veterum Achaeorum ex feminis Doriensibus, quibuscum illi, Spartanis propter bellum diu absentibus, aeque concubitus fecissent, ac servi cum Locrensium uxoribus apud Polyb. l. l. et cum Scytharum feminis apud Herodotum[69]). — Hanc sententiam valde confirmant ejusdem Polybii verba diserta l. l. Spartani castris absentes *ἔδοσαν ἀναστροφὴν ταῖς γυναιξὶ πρὸς οἰκέτας γίνεσθαι συνήθειαν*[70]).

Dux vero totius expeditionis Phalanthus, ex Heraclidarum stirpe, hujus ignominiae non particeps fuit, sed illi „ducem Phalanthum assumunt, filium Arati, qui (Aratus) auctor Spar-

---

65) cf. Heyne, opusc. Acad. II. p. 217. sqq. not. a. Mueller, Dor. I. p. 145.

66) In excerpt. Vatic. ex Diod. biblioth. hist. l. VIII—X. nuper repertis p. 11. ed. Dindorf. Ubi Mai annotat: Epeunactae servi erant Hilotae in locum stratumque dominorum bello Messenio exstinctorum a Lacedaemoniis substituti.

67) VI. p. 271. c.

68) De sententiis Excerpta lib. XII. 5. p. 383. sqq. ed. Mai p. 15. ed. Lucht. — Qua narratione Niebuhr in histor. Roman. p. 175. sqq. optime usus est: „die Sage — — läßt errathen, daß zu jener Zeit an mehreren Orten die aus Ehen ohne Connubium gebornen Söhne den Frieden der aristokratischen Republiken erschütterten und diese sie in die Ferne zu senden suchten." cf. Dionys. Perieget. v. 366. *σφετέρῃς μιχθέντες ἀνάσσαις*, ubi v. Eustath.

69) Herodot. IV. 1. sqq. et Justin. II. 5.

70) Cum posteriore parte consentit optime Schol. ad Horat. od. II. 6. 12. Phalanthus Lacedaemonius fuit ejectus patria, hac de causa, quod absentibus Lacedaemoniis eorum filiae ex servis gravidae peperant, quos filios tali culpa genitos reversi a bello Lacedaemones patria ejecerunt, quorum dux Phalanthus fuit, qui Tarentinam condidit civitatem, ut fertur octavus ab Hercule. Hi tamen servi (*οἰκέται*) erant veteres incolae, quos Lacedaemonii subactos servorum loco habebant.

tanis fuerat juventutis ad generandam sobolem domum remittendae, ut sicuti dudum patrem ejus nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suae haberent" [71]). Heros urbis erat Taras, Neptuni filius, quo Muellerus [72]), cultum Taenarii Neptuni etiam in coloniam transiisse, exprimi recte putat. Tarentinorum continuum commeatum cum Taenariae regionis incolis pulchra illa de Arionis navigatione fabula indicare videtur [73]).

Quoniam igitur Doriensis, isque ex splendissima stirpe oriundus dux fuit coloniae, quae semper et legibus et institutis et dialecto Doriensium utebatur [74]) et totam per antiquitatem Spartam ut majorem patriam (*μητρόπολιν*) pie colebat [75]), satis liquet, hanc coloniam eodem fere modo quo illam in Theram insulam ex commixtis Peloponnesi incolis constitisse, quorum maxima pars illi spurii Achaeorum cum Doriensium feminis procreati liberi fuerint, quibus Spartani cives quosdam, totius expeditionis ductores, addiderunt.

---

2. Historia urbis Gythei a Doriensium occupatione usque ad Augusti tempora.

Cum Dorienses multa post certamina [76]) tota Laconica potiti essent, veteribus incolis aut abactis aut subjectis, eam, Ephoro auctore [77]), in sex partes diviserunt, quarum singulis reges — *βασιλέας*, Vicekönige — praeposuerunt. Spartam sibi ipsis sumsere, Amyclas Philonomo donarunt, ceterarum vero ur-

71) Justin. III. 4. cf. Mueller, Dor. I. p. 125. 5.
72) Mueller, Dor. I. p. 126. et II p. 369. 3.
73) Herodot. I. 23. sqq. ibique Schweigh. cf. Mueller, Dor. II. p. 369. 3.
74) Heyne, l. l. p. 221. Mueller, Dor. II. p. 176. et passim. Mazochi p. 97. not. 52.
75) cf. Plat. de legg. I. p. 637. B et Mueller, Dor. I. p. 125. „Doch blieb Tarent, bei aller Entartung, der Mutterstadt anhänglich — — — auch die Freundschaft der Knidier mit den Tarentinern — Herodot. III. 138. IV. 164 — und mit den Kyrenäern beruht auf der Anerkennung gemeinsamen Ursprungs."
76) Nam et Ephorum et alios, qui Dorienses statim post incursionem tota Peloponneso potitos esse narrent, valde errare, Muellerus, Orchom. p. 330. sqq. de Amyclis potissimum, et Dor. I. p. 60. sqq. demonstravit, et satis ex Paus. III. 2. liquet.
77) Strabo VIII. p. 364. a. cf. Marx, Ephori fragmenta I. 18. p. 113. sq.

bium nomina in omnibus codicibus aut exciderunt aut tam mutila sunt, ut Marx, nisi meliores libri reperiantur, de eo loco desperandum esse, censeat. Muellerus [78]) tamen eum restituere conatus est, magna, opinor, felicitate. Ephori verba sunt:

χρῆσθαι δὲ λαϊμένῳ . . . .
εὐλίμενον αἴτυϊ δὲ πρὸς τοὺς πολέμους
. . . . γὰρ ὁμορεῖν τοῖς κύκλῳ
φεραία δὲ . . . . ἀπὸ τῶν ἐντος ἀσφάλειαν ἐχούσῃ.

Muellerus restituit:

χρῆσθαι δὲ Λᾶϊ μὲν ὁ [χυρώματι Ἐπιδαύρῳ (aut *Γυθείῳ) δὲ ἐμπορίῳ διὰ τὸ] εὐλίμενον, Αἴγυι δὲ πρὸς τοὺς πολέμους [ἐπιτειχισμῷ, ταύτην] γὰρ ὁμορεῖν τοῖς κύκλῳ [πολεμίοις], Φάριδι δὲ [εἰς συνόδους] ἀπὸ τῶν ἐντὸς ἀσφάλειαν ἐχούσῃ.*

Aut Gytheum igitur, aut Epidaurus Limera urbs fuit princeps cujusdam earum regionum (Districte), ubi administrator sedem habebat [79]). Talem divisionem, multo modo serius susceptam [80]), revera exstitisse, eo comprobatur, quod in Messenia simillimam invenimus distributionem [81]).

Historia, quae jam sequitur, urbis obiter tantum ubique memoratae, neque magnas civium contentiones praebet, neque litterarum artisque studiosos homines, sed depopulationes tantum affert, quibus ora illa quoque belli tempore exposita erat, quod Laconicae mediterranea terra, altis montibus inclusa, per difficilis et periculosa fuit penetratu [82]) et Lacedaemoniorum exiguum rerum navalium studium has depopulationes securiores reddidit.

Iam extemplo igitur post bella Persica Themistoclem inter alia consilia, quibus Athenienses Graeciae imperatores faciat,

---

78) Mueller, Dor. I. p. 94. not. 3.

79) Eodem ferme modo, opinor, ut in insula Cytheris. Thucyd. IV. 53. *Λακεδαιμόνιοι δὲ εἰσὶ (οἱ Κυθήριοι) τῶν περιοίκων καὶ κυθηροδίκης, ἀρχὴ ἐκ τῆς Σπάρτης διέβαινε αὐτόσε κατὰ ἔτος.*

80) Ephorus quidem Eurysthenis et Proclis tempore id factum esse narrat, quod fieri non potuisse jam constat.

81) Stenyclarus, Pylus, Rhium, Mesola et Hyamia, Mueller, Dor. I. p. 95.

82) Xen. Hellen. VI. 5. 24. *ὅτι δυσεμβολωτάτη μὲν ἡ Λακωνικὴ ἐλέγετο εἶναι.*

etiam id cepisse cognoscimus, ut „classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendere vellet"[83]), quod consilium, quamvis tunc Aristidis justitia intermissum, paucis annis post Tolmidas revera exsecutus est. Cum enim Athenienses foedus a Medicis bellis cum Spartanis ictum[84]), solvissent[85]), et cum Argivis conjuncti ubique feliciter bella gererent[86]), Tolmidas iis persuasit, ut classem circa Peloponnesum emitterent[87]). Qui cum ei obtemperassent, primum Mothonem aggressus est, deinde urbem Gytheum, cujus agros depopulatus est, et navalia cum deprehensis ibi navibus accendit[88]). (Ol. 81. 1. a. Chr. 455.) Oppido ipso Tolmidam potitum esse, auctor est Diodorus, sed quod ejus in pace Periclea, quam Athenienses post cladem apud Coroneam acceptam pepigerunt (Ol. 83. 3. a. Chr. 445.)[89]) nulla mentio fit, neque fieri potuit, ut Athenienses urbem tanti momenti in ipsa Laconica diu in potestate haberent, et Gytheum et insulam Cythera, qua eodem tempore potiti sunt[90]), mox eos reliquisse probabile est.

Belli Peloponnesii annis prioribus cum et Spartani et Athenienses, illi terra, hi mari id dumtaxat agerent, ut alteri alterorum agros pervastarent, orae, ubi Gytheum situm erat, Athenienses eorumque socios haud pepercisse credibile est, licet ejus loci nusquam diserte mentio fiat. Magis ad nos expeditio ea attinet, quam Athenienses sub Niciae aliorumque imperio a. VIII. belli Pelop. (Ol. 89. I. a. Chr. 424.) post

---

83) Cic. de off. III. 11. cujus insequentia verba: „quo fracto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset" merito in dubium vocantur. Plut. vit. Themist. c. 20. et Aristid. c. 22.

84) Herodot. VII. 145. Thucyd. II. 18. *ὁμαιχμία*. Mueller, Dor. I. p. 184. sqq.

85) Thucyd. I. 102.

86) Aeginam, Boeotiam, praeter Thebas, Phocidem et Locros Opuntios suae ditioni subjecerunt. Thucyd. I. 108 et 111. Diod. XI. 83 et 78. — dum Spartani X annos in Ithome obsidenda consumunt. Thucyd. I. 101. sqq.

87) Diod. XI. 84. enumerat L naves et IV millia militum, quorum tria millia dolo conscripsisset.

88) Diod. l. c. Thucyd. I. 108. et Paus. I. 27. 6.

89) *αἱ τριακοντούτεις μετὰ Εὐβοίας ἅλωσιν σπονδαί*. Thucyd. I. 115. cf. I. 23. 81. IV. 21.

90) Paus. I. 27. 6.

Lacedaemoniorum cladem in insula Sphacteria adversus Cythera suscepere, qua insula subacta, praesidioque ibi relicto, Asinam aggressi sunt et Helum et plurima ejus regionis loca maritima. Exscensione facta commorati sunt ubicunque opportunum videbatur, et terras per dies circiter septem vastarunt [91]). Lacedaemonii cum exercitu non obviam ibant, invalidi atque timidi tum propter cladem, quam in Sphacteria perpessi erant, tum propter internas discordias [92]), tum quod bellum gerendum erat mari, idque cum peritis Atheniensibus [93]); sed praesidiis urbes tueri studebant. Athenienses deinde circa Epidaurum Limeram agris devastatis, ad Thyream occupandam contenderunt.

Postremis ejusdem belli annis (XXIV. a. b. P. Ol. 93. 1. a. Chr. 408.) postquam Alcibiades, Lacedaemoniorum classe apud Cyzicum victa, Byzantium ceterasque urbes Hellesponti Atheniensium ditioni subjecit, atque, licet exul, imperator cum duobus aliis factus est, XX navibus in Parum navigavit, indeque, ut videret, an revera Lacedaemonii XXX naves aedificarent, ad Gytheum versus cursum tetendit; simulque etiam animos civium suorum experiri voluit [94]).

Cum Lacedaemonii terra marique victores Persarum fines aggrederentur (Ol. 94. 4. a. Chr. 400.), hique tandem proelio apud Cnidum illorum classem vicissent, Conon et Pharnabazus magna per insequentem hiemen praeparata classe, Laconicam ipsam petebant. Primum apud Pheras littoris appulsu facto, agros depopulati sunt, deinde ad alias maritimae orae regiones classem applicantes hostiliter eas tractarunt [95]). Sed cum littus portibus male instructum, tum adventum copiarum auxiliarium, tum victus inopiam metuentes, mox classem converterunt, et in insulam Cythera navigarunt, unde, Lacedaemoniis dimissis praesidioque sub Nicephemo Atheniensi harmosta relicto, ad Corinthiacum isthmum se contulerunt.

---

91) Thucyd. IV. 53. sqq.
92) Manso II. p. 124.
93) Thucyd. IV. 55. *ξυνεστῶτες παρὰ τὴν ὑπάρχουσαν σφῶν ἰδέαν τῆς παρασκευῆς ναυτικῷ ἀγῶνι, καὶ τούτῳ πρὸς Ἀθηναίους, οἷς τὸ μὴ ἐπιχειρούμενον ἀεὶ ἐλλιπὲς ἦν τῆς δοκήσεώς τι πράξειν.*
94) Xen Hellen. I. 4. 11. Plura infra.
95) Xen. Hellen. IV. 8. 7. 8. Diod. XIV. 84.

Cum Lacedaemoniorum vires pugna apud Leuctra fregisset, Boeoti, Epaminonda duce, a Caryensium aliorumque legatis tandem commoti [96]), in Peloponnesum intrant, et Laconicam ipsam hostiliter aggredi constituunt. Inde a Caryis ad Amyclas usque in sinistra Eurotae ripa profecti sunt, ubi fluvium transgressi equitum turmas in aciem direxere. Sed tum Spartanorum auxiliares copiae [97]) tum parvum apud Tyndaridarum aedem proelium, quod Spartanis secundum fuit [98]), Epaminondam moverunt, ut exercitum ab urbe Spartanorum deduceret, adversus Helum et Gytheum cursum tenderet atque oppidis moenibus non instructis in itinere accensis hanc quoque urbem a quibusdam perioecis adjutus per tres integros dies oppugnaret [99]). (Ol. 102. 3. a. Chr. 370.)

Gytheum in hac expeditione a Thebanis occupatum esse, Xenophon mihi negare videtur. An igitur illa narratio, quam Polyaenus [100]) affert: Isidam (s. Isadam) Laconem Gytheum, post Leuctricam calamitatem Thebanorum praesidium tenens, cum centum nudis adolescentibus oleo unctis et gladiis armatis, liberasse et, ejecto praesidio, oppidum ipsum obtinuisse, ad hoc tempus sit referenda, parum liquet. Nam Isidam quendam Phoebidae filium, qui in secunda Epaminondae expeditione adversus Spartam fortiter pugnans, nudus per Thebanorum ordines penetrasset, Plutarchus [101]) quoque memorat, sed de centum assumtis juvenibus et de urbe Gytheo prorsus tacet, cum satis constet, Epaminondam in illa expeditione hanc regionem non tetigisse.

In proximis Graecae historiae temporibus, ubi Sparta ipsa, totaque paene reliqua Graecia prae Macedonum rebus gestis in tenebris est, nemo urbis Gythei usquam apud veteres mentionem factam esse exspectabit. Cleomenis demum aetate nomen ejus obiter memoratur, cum hic fortis et magnus rex ab

---

96) Xen. Hellen. VI. 5. 24. 25.
97) Helotes, stipendiarii ex Orchomeno, Phliasii, Corinthii, Epidaurii, Pellenenses aliique. Xen. Hellen. VI. 3. 29.
98) Xen. Hellen. VI. 5. 31.
99) Xen. l. l. 32.
100) Strateg. II. 9.
101) Vit. Ages. c. 34. cf. Aelian. v. h. VI. c not. Perizon.

Antigono Dosone in pugna ad Sellasiam victus, Spartam fugeret, indeque proxima nocte Gytheum se conferret, ubi cum amicis nonnullis naves jam paratas conscendit, ut matrem filiosque suos sequeretur, quos ante ab Aegyptiorum rege Ptolemaeo Evergete obsides petitos, Alexandriam miserat (Ol. 139. 3. a. Chr. 222.)[102]).

Antigonus Doson Spartanis veterem reipublicae formam restituit, eosque Achaeorum foederi, quibuscum Macedones in gratiam redierant, adjunxit[103]). Cum vero Achaei Messenios ab Aetolis valde vexatos[104]) in suam societatem recepissent, Spartani arcanum amicitiae societatisque foedus cum Aetolis pepigerunt[105]). Philippus, Macedoniae rex, quum Achaeis subveniens Aetolos ex Peloponneso depulisset, et a Sparta haud longe abesset, Lacedaemoniis Arati precibus commotus tunc veniam dedit[106]). (Ol. 139. 4. a. Chr. 221.)

Cum vero et Philippus et Achaei eorumque socii insequente hieme Aetolis bellum decernerent[107]), Lacedaemonii se exclusere[108]) et, Cleomene interim Alexandriae mortuo[109]), Lycurgum quemdam regem crearunt, qui, foedere cum Aetolis inito, tum incursione in Argivorum terram, tum occupatione Athenaei in Megalopolitanorum finibus, se statim Achaeis hostem praebuit[110]). Hanc ob rem cum rex Philippus bellum in Aetolorum terra ad finem perduxisset, inexspectatus maximis itineribus Peloponnesum invadit et in Lacedaemoniorum fines irrupit. Copiis per montosas et desertas vias mirabili celeritate perductis, quarto die colles urbi oppositos insedit et fluvium transgressus Amyclas pervenit, maximo Spartanorum terrore, qui eum in Aetolia adhuc versari opinati erant. Ibi die uno consumto, duos proximos vicinorum agris depopulandis

102) Polyb. II. 69. 11. Plut. vit. Cleom. 29. sqq.
103) Polyb. IV. 9. 4. et 15. 4. 6. cf. 16. 5.
104) Polyb. IV. 3. sqq. cf. Plut. vit. Arat. 47.
105) Polyb. IV. 7. 16.
106) Polyb. IV. 24.
107) Polyb. IV. 27. 9. 10. — 29. 1. 30.
108) Polyb. IV. 34. 1. Legatos nihil respondentes remiserunt.
109) Polyb. IV. 33 — 39. Plut. vit. Cleom. 31 — 39. cf. Manso III. 2. p. 133. sqq.
110) Polyb. IV. 34 — 39. et 60.

transegit, et deinde apud Carnium[111]) castra posuit. Inde Asinam petiit, ubi quum minus ipsi procederet, abstitit incepto et populabundus per totam oram usque ad Taenarum processit, unde iter ad Lacedaemoniorum navale Gytheum inflectens deinde apud Helum castra posuit et agros frugesque universos corrupit. Quin etiam Acrias usque et Leucas et in Boearum agrum populationibus perventum est[112]). Lycurgus ob victoriam de Messeniis reportatam[113]) elatus, Philippum reducem ad proelium cogere obstaculisque multis vincere studuit; sed rex omnibus impedimentis expeditis incolumis Tegeam rediit[114]).

Philippum deinde bellum cum Romanis temere incauteque susceptum a Peloponnesiorum rebus magis abvertebat, dum Machanidas, ejusque successor Nabis rapinis caedibusque omnia implent loca. Philippus, quum videret T. Q. Flamininum operam dare, ut Achaeos Romanis amicos redderet, cum Nabide Lacedaemoniorum tyranno de tradendis Argis egit, quam urbem Philocles praeter Corinthum, praesidio imposito, regi servaverat (a. Chr. 198. u. c. 556.)[115]). Nabis Argis potitus, paullo post ejus beneficii immemor cum Quinctio, classis Romanae praefecto, et rege Attalo, qui in obsidenda Corintho occupati erant, foedus iniit, quo Romanis auxilia adversus Philippum promisit et Argos obtinuit. Pace deinde post pugnam ad Cynoscephalas inter Philippum Romanosque facta[116]), qua omnes Graecae urbes immunes, liberae suisque legibus redditae sunt, cum Nabis Argis decedere nollet, T. Quint. Flamininus, cujus arbitrio senatus totam rem permiserat[117]) conventu sociorum habito, Nabidi bellum inferre constituit. Argivorum fines transgressus apud Caryas posuit castra copiasque

---

111) De hoc ibi tantum memorato loco cf. Manso, Sparta, I. 2. p. 33. c. not.

112) Polyb. V. 19.

113) Polyb. V. 20.

114) Polyb. V. 21—25. 10.

115) Liv. XXXII. 19—25. et 38. Polyb. XVII. 13. Plut. vit. Flam. c. 5.

116) Liv. XXXIII. 30—35. Polyb. XVIII. 27. sqq. Plut. vit. Flam. 10—13. Placuit ut Corinthus Achaeis redderetur, in Acrocorintho tamen praesidium esset, Chalcis et Demetrias retineretur, donec cura de Antiocho decessisset.

117) Liv. XXXIII. 44 et 45.

undique collegit, dum frater Quinctius classem ex Corcyra adduxit [118]). Nabis quoque exercitum ex mercenariis Helotibus et Perioecis [119]), comparavit, urbem communivit. T. Quinct. per Sellasiam in Laconicam intrans, copias sub ipsas Menelai montis radices prope Amyclas duxit, Nabidis militibus bis fugatis, unde ad Eurotam processit; et vallem Taygetó subjectam agrosque ad mare pertinentes evastat. (a. Chr. 195. u. c. 559.)

,,Eodem fere tempore L. Quinctius maritimae orae oppida partim metu aut vi recepit. Certior deinde factus, Gytheum oppidum omnium maritimarum rerum Lacedaemoniis receptaculum esse, nec procul a mari castra Romana abesse, omnibus id copiis adgredi constituit. Erat eo tempore valida urbs et multitudine civium incolarumque et omni belli adparatu instructa. Nunc Eumenes rex et classis Rhodiorum supervenerunt, ingens multitudo navalium sociorum e tribus contracta classibus, intra paucos dies omnia, quae ad oppugnationem urbis terra marique munitae facienda opera erant, effecit. Jam testudinibus admotis, murus subruebatur: jam arietibus quatiebatur. Itaque una crebris ictibus aversa est turris, quodque circa muri erat, casu ejus prostratum: et Romani simul a portu, unde aditus planior erat, ut distenderent ab apertiore loco hostes, simul per patefactum ruina iter irrumpere conabantur; nec multum abfuit, quin qua intenderant, penetrarent. Sed tardavit impetum eorum spes objecta dedendae urbis, mox deinde eadem turbata. Dexagoridas et Gorgopas pari imperio praeerant urbi. Dexagoridas miserat ad legatum Romanum, traditurum se urbem, et quum ad eam rem tempus et ratio convenisset, a Gorgopa proditor interficitur: intentiusque ab uno urbs defendebatur: et difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quinct. cum IV millibus delectorum militum supervenisset. Is quum supercilio haud procul distantis tumuli ab urbe instructam aciem ostendisset, et ex altera parte L. Quinctius ab operibus suis terra marique instaret: dum vero desperatio Gorgopam quoque coegit id consilii quod in altero morte vindicaverat, capere;

118) Liv. XXXIV. 22—28.

119) Decem millia popularium cum castellanis agrestibus. Liv. XXXIV. 27. cf. Manso, Sparta, III. 1. p. 387.

et pactus ut abducere inde milites, quos praesidii causa habebat liceret, tradidit Quinctio urbem."[120])

Nabis, postquam Gytheum quoque traditum Romanis audivit esse, cum a terra omnibus circa hostibus nihil spei esset, a mari quoque toto se interclusum, cedendum fortunae ratus, cum imperatore colloquium per Pythagoram, generum suum, postulat, impetratque, sed cum conditioni, ut imperium deponeret, morem gerere nollet, infecta re Spartam abiit, imperatorem deprecatus, ut aliud si quid postularet, scriptum ederet. Imperator igitur, ad pacem inclinatior Nabidi conditiones misit, in quas cum eo pax fieret, quae praeter alias fuere: „ut naves, quas civitatibus maritimis ademisset, redderet: neve ipse navem ullam praeter duos lembos, qui non plus quam sexdecim remis agerentur, haberet, et ut civitatibus omnibus, quas ipse (Quinct.) restituisset, quaeque se suaque in fidem ac ditionem populi Romani tradidissent, omnia praesidia deduceret, seque ipse suosque ab his abstineret."[121]) Sed neque tyranno neque populo eae placebant, quare in concione omnes una voce bellum geri jusserunt. T. Quinct. omnibus sociis navalibus a Gytheo accitis, urbem vehementer aggreditur. Tyrannus per plures deinde dies lacessitus, pacem tandem petiit, quam ei imperator iisdem conditionibus, quas antea scriptas ediderat, concessit et, fratre Gytheum ad classem remisso, ipse Argos contendit[122]). Maritimarum urbium curam T. Quinct. Achaeis mandavit[123]).

Tyrannus vero amissis maritimis oppidis, ad omnes expeditiones infirmior fuit, ita ut duos insequentes annos quiete et sine vexatione Peloponnesi transigeret. Sed Aetoli Romanis infensi et Philippum et Antiochum et Nabin, quemque suis stimulis, ad bellum Romanis inferendum commovere tentabant.

---

120) Liv. XXXIV. 29.
121) Liv. XXXIV. 31—36.
122) Liv. XXXIV. 38 — 41. Plut. vit. Flam. c. 12. — Non injuria ab Achaeis et Aetolis reprehensus, quod omnibus Graeciae oppidis liberatis, Lacedaemonem a tyranno teneri patiatur, ita ut initio insequentis veris in conventu Corinthi habito, se purgare studeret (Liv. 6. 49.) et Demetriadem, Chalcidem et Acrocorinthum liberaret. cf. Manso, Spart. III. 1. p. 395.
123) Liv. XXXV. 13. 2. 18. 5.

Damocritus tyranno Lacedaemoniorum in mentem induxit: „ademtis maritimis civitatibus enervatam esse tyrannidem, inde militem inde naves navalesque socios habuisse — — — nullum exercitum Romanum in Graecia esse: nec propter Gytheum, aut maritimos alios Laconas dignam causam existimaturos Romanos, cur legiones in Graeciam rursus transmittant." (a. Chr. 193. u. c. 561.)

Nabis extemplo circa omnes vicos maritimos dimisit ad seditiones in iis miscendas, alios principum donis ad suam causam perduxit, alios pertinaciter in societate Romana manentes occidit. Achaei igitur extemplo et ad tyrannum legatos miserunt, qui admonerent foederis eum Romani, denunciarentque, ne pacem, quam tantopere petisset, turbaret; et auxilia ad Gytheum, quod jam oppugnabatur a tyranno et Romam, qui ea nunciarent, legatos miserunt [124]). Dum Romani ad bellum cum Antiocho se praeparant, Nabis summa vi Gytheum oppugnabat et infensus Achaeis, quod miserant obsessis praesidium, agros eorum vastabat. Achaei legatos a Roma exspectabant, qui quum reversi essent, omnes in concilio Sicyone habito bellum Nabidi inferendum censuerunt.

Philopoemen quidem initio, quod T. Quinctius monuit litteris [125]) et ipse statuerat, classem Romanam, quae a mari Gytheum tueri posset, exspectare; sed metuens, ne Gytheum solum sed praesidium quoque dilatione amitteretur, Achaeorum naves deduxit. Tyrannus quoque modicam classem paucarum navium comparaverat, quam quotidie simulacris pugnae navalis exercebat. Praetor Achaeorum, sicut terrestrium certaminum vel usu vel ingenio peritus, ita rudis in re navali erat; navem jam octoginta annis ante captam putrem jam admodum et vetustate dilabentem, ab Aegio deduci jussit. Hac tum praetoria nave praecedente classem, obcurrerunt a Gytheo Laconum naves, et primo statim incursu ad novam et firmam navem vetus, quae per se ipsa omnibus compagibus aquam acciperet, divulsa est, captique omnes, qui in nave erant. Reliqua classis, praetoria nave amissa, quantum quaeque remis

---

124) Liv. XXXV. 12. 13.
125) Liv. XXXV. 25.

valuit, fugerunt; ipse Philopoemen in levi speculatoria nave fugit, nec ante fugae finem, quam Patras ventum est fecit [126]).

Nabis, prospera elatus spe, nihil jam a mari periculi fore, et terrestres aditus claudere opportune positis praesidiis voluit, quare tertia parte copiarum ab obsidione Gythei abducta, ad Pleias posuit castra. Sed Philopoemen nocte littora legens et egressus consopitis militibus inopinatus supervenit et ferro flammaque omnibus consumtis perpauci tantum ad Gytheum in majora castra perfugerunt. Philopoemen ad Tripolim depopulandam protinus pergit, indeque, prinsquam tyrannus a Gytheo agris praesidium mitteret, Lacedaemonem ipsam aggredi statuit, eo modo uno ratus ab obsidione Gythei hostem abduci posse. Sed quo die ad Caryas posuit castra, eodem Gytheum expugnatum est. Nabis, recepto Gytheo, cum expedito exercitu hostibus obviam proficiscitur. Verum tyrannus Philopoemenis fortitudine calliditateque mox superatus, Lacedaemonem fuga petiit, a persequente Philopoemene maxima copiarum vi privatus, qui deinde triginta dies in vastandis Laconum agris absumsit et fractis prope tyranni viribus, domum rediit [127]). Paullo post tyranno ab Aetolis, quos auxilio advocaverat interfecto, Philopoemen tempore opportuno usus est, ut Spartanos iterum Achaeorum foederi adjungeret, quod eo facilius evenit, quum forte ad idem tempus A. Atilius cum Romana classe ad Gytheum appulisset [128]). Sed Spartanis, Achaeorum licet foederi adjunctis, semper tamen vici maritimi, Nabidi erepti, abrogati sunt; vici, quos tot saecula imperio subjectos tenuerant, quibusque amissis ab omni navali expeditione et commeatu erant exclusi; quare etiam mox novorum bellorum causam praebebant. Lacedaemonii enim, ut aliqua liberum ad mare haberent aditum, si quando Romam aliove quo mittere vellent legatos, simulque ut emporium et receptaculum peregrinis mercibus ad necessarios usus esset, nocte adorti vicum maritimum, nomine Lan improviso occupa-

---

126) Liv. XXXV. 26. cf. Plut. Philop. c. 13. Paus. VIII. 50. 5.

127) Liv. XXXV. 27—30. Plut. et Paus. l. l. cf. Polyb. XVI. 36. 37. et ibi Schweigh. t. VII. p. 293.

128) Liv. XXXV. 35—37. — Plut. Philop. c. 15. Pausan. l. l. (a. Chr. 192. u. c. 562.)

vere. Vicani, quique ibi exules habitabant, quorum magna pars in maritimis orae Laconicae castellis Spartanis ademtis, morabatur, eos sub lucem congregati levi certamine expulerunt. Terror tamen omnem maritimam oram pervasit, legatosque communiter castella omnia vicique et exules, quibus ibi domicilia erant, ad Achaeos miserunt. Philopoemen, jam dudum exulum caussae amicus, legatos extemplo Lacedaemonem mittendas curavit, qui auctores ejus impetus exposcerent. Lacedaemonii et ob hoc superbum indignumque imperium et ob metum, ne Philopoemen exules reducturus sit, M. Fulvio Romanisque urbem dederunt, eumque ut ex Cephallenia in Peloponnesum veniret, orabant. (a. Chr. 189. u. c. 565.) Cum interim Achaei latrociniis magis quam justo belli modo Lacedaemoniorum fines devastarent, consul utrasque partes commovit, ut legatis Romam missis, usque ad eorum reditum bello abstinerent. Lacedaemoniorum exules suam quoque causam legationemque Achaeis adjunxerunt. Sed responsum ita perplexum iis datum est, ut et Achaei sibi de Lacedaemone permissum acciperent, et Lacedaemonii non omnia concessa iis interpretarentur. Quare Philopoemen vere ineunte castra in fines Lacedaemoniorum movit et auctores defectionis iterum depoposcit quos, quum promisso accepto, se nihil indicta causa passuros, ipsi sese tradidissent, ad unum omnes, septuaginta numero, interfici jussit, Spartamque rursus, gravissimis conditionibus Achaeorum foederi ad junxit [129]). (a. Chr. 188. u. c. 566.)

Spartani deinde potissimum ob reducendos expellendosve exules modo accedebant Achaeorum societati [130]), modo ab iis deficiebant [131]), donec Romanos tandem perpetuis precibus commoverunt, ut Achaeis bellum inferrent, quo hi Peloponnesum sibi subjecerunt illisque aliquantulum libertatis reddiderunt [132]).

129) Liv. XXXVIII. 31 — 34. Paus. VIII. 51. 1. et VII. 8. 3. Plut. Phil. c. 16.

130) (A. Chr. 182. u. c. 572.) Polyb. XXV. 2.

131) Paus. VII. 12. 2.

132) Strab. VIII. 365. fin. *ἐτιμήθησαν διαφερόντως καὶ ἔμειναν ἐλεύθεροι, πλὴν τῶν φιλικῶν λειτουργιῶν ἄλλο συντελοῦντες οὐδέν.* cf. Manso, III. p. 444. sqq.

Eleutherolacones.

Postremos Laconicae reipublicae annos intuentem fugere non potest, neque tyrannorum crudelitates, neque Lycurgi instituta per Philopoemenem sublata Spartanorum imperio tantum nocuisse, quantum civitatum maritimarum amissionem. Quibus ereptis quam infirma esset respublica, primum Nabis sensit, quare iis recuperandis omnibus viribus incumbebat. Haec oppida semper praebebant causam novorum inter Lacedaemonios Achaeosque dissidiorum veraeque conjunctioni continuo oberant. In omnibus colloquiis et disceptationibus earum facta est mentio, cum exulum res qui ibi plerumque domicilia obtinebant, arcte cum iis cohaereret. Ne imperatores quidem Romani earum obliti sunt, quam ob rem non supervacaneum videtur, de iis oppidis, in quibus Gytheum principem tenebat locum, etiam pauca afferre.

Urbes Laconicae maritimas T. Quinct. Spartanorum imperio liberavit, earumque curam Achaeis mandavit[133]). Fiebant igitur liberi socii Achaici foederis, cui addicti manebant usque ad ejus interitum per Romanos. Quot numero hae urbes fuerint, quaeve nomina, non liquet, quod praeter Gytheum et Lan nulla diserte memoratur. Mediterrannea tamen Laconicae oppida perpetuo Spartanorum imperio erant subjecta, quod et certamina eorum cum Argivis[134]) et Megalopolitanis[135]) de finibus declarant, et Achaeorum praetor Diaeus, qui plures vicos urbi vicinos ad foedus suum pellexit et praesidiis per eos dispositis, Lacedaemonem perpetuo quasi obsessam tenuit[136]). Etiam Achaeis superatis Romani liberas illas urbes Spartanorum ditioni non obnoxias fecere, sed ut ceteras Peloponnesi civitates, quae suis legibus utebantur, sibi ipsis subjecerunt, ita ut Romanis tributa penderent, iisque institutis fruerentur, quae

---

133) Liv. XXXIV. 36. 2. cf. Liv. XXXV. 12. 13. 2. 18. 5. et 35. — Gytheum inter has liberatas urbes fuisse, etiam inscriptio indicat, quam infra allaturus sum.

134) Pausan. VII. 11. 1.

135) Polyb. XXXI. 9. 7.

136) Paus. VII. 12. 2. et Manso, III. 1. p. 454.

Mummius Peloponnesiis praescripsit [137]). Cum vero Romani ob civilia bella et bellum sociale Graecorum negotia negligerent, Spartani veteris imperii memores urbium illarum plurimis sensim sensimque denuo potiti esse videntur [138]). Nam imperatorem Augustum viginti quatuor maritimas urbes a Spartanorum imperio liberasse Pausanias diserte affirmat [139]), quarum octodecim tantum enumerat: Gytheum, scilicet, Teuthronen, Lan et Pyrrhichum, Caenopolim, Oetylum, Leuctra, Thalamas, Alagoniam, Gereniam, Asopum, Acrias, Boeas, Zaracem, Epidaurum Limeram, Prasias, Geronthras, Marium. Si quis Pausaniae verba insequentia: *τὰς δὲ ἄλλας συντελούσας ἴστω τις εἰς Σπάρτην, καὶ οὐχ ὁμοίως τοῖς προλεχθεῖσιν αὐτονόμους* ad reliqua sex oppida refert, is statuat necesse est, Spartanos temporibus inter Augusti aetatem et M. Aurelii [140]) iis rursus potitos esse ceterisque oppidis mediterraneis, quae semper obnoxia tenuisse videntur [141]), adjunxisse; qui vero verba allata ad has ipsas mediterraneas urbes referenda judicat, is fortasse Muellero [142]) suffragabitur, alias earum Messeniis restitutas esse — ut Pharas et Abeam [143]) — alias desertas, neque habitatas amplius fuisse — ut Pephnum, Helum, Cyphanta, Leucas. — Parvam tamen orae partem circa

137) Paus. VII. 16. 6. *δημοκρατίας μὲν κατέπαυε, καθίστατο δὲ ἀπὸ τιμημάτων τὰς ἀρχάς· καὶ φόρος τε ἐτάχθη τῇ Ἑλλάδι καὶ οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες ἐκωλύοντο ἐν τῇ ὑπερορίᾳ κτᾶσθαι.*

138) Fieri etiam potuit, ut Spartanorum civitas a Romanis quasdam dono acceperit, ut hoc de Atheniensium civitate pro certo constat. — Lemnus, Imbrus, Scyrus, Delus, Haliartus. Deinde Aegina et Eretria. cf. Herman, antiquit. Gr. §. 176. c. n. 2.

139) Paus. III. 21. 6. cf. 26. 6 — *οὓς βασιλεὺς Αὔγουστος δουλείας ἀφῆκε Λακεδαιμονίων τῶν ἐν Σπάρτῃ κατηκόους ὄντας.* cf. Strabo, VIII. p. 366. a. *Συνέβη δὲ καὶ τοὺς Ἐλευθερολάκωνας λαβεῖν τινα τάξιν πολιτείας, ἐπειδὴ Ῥωμαίοις προσέθεντο πρῶτοι οἱ περίοικοι τυραννουμένης τῆς Σπάρτης, οἵ τε ἄλλοι, καὶ οἱ Εἵλωτες.* — Quod tamen eo magis admirandum est, quod eodem Paus. teste, VIII. 8. 6. Spartani in proelio Actiaco in Augusti partibus steterunt.

140) Ejus enim tempore Pausanias opus suum absolvit. cf. Boeckh, corp. inscr. I. 902.

141) cf. Mueller, Dor. II. p. 23.

142) Mueller, Die Dor. II. p. 22. not. 4. cf. etiam Manso, III. p. 445.

143) Pharae, Abea et Thuria a Messeniis ad Lacedaemonios defecerant, quas Augustus postea Lacedaemoniis donavit. cf. Paus. IV. 30. 2. Polyb. XXV. 1. 1. An Abea quoque ab Augusto Laconicae adscripta esset, ex loci natura probabile est. Mueller, l. l. et II. p. 456.

Cardamylam Spartanorum imperio subditam mansisse, ut aditum haberent in mare, a Pausania [144]) docemur. — Hae civitates, quibus nomen fuit Eleutherolaconum propriam constituerunt societatem suis legibus et institutis fruentem [145]), quae tamen instituta a veteribus non valde aliena fuisse videntur, cum etiam ephori rerum administrationi praeessent [146]).

Nomen, quod Gytheum hodie obtinet, non Colochina s. Colocythia est, ut nonnulli statuerunt, sed ut Poppo (prolegg. in Thucyd. I. 2. p. 198. not. 12.) et Mueller (Dor. II. p. 453.) docent, *Palaeopolis*, prope Marathonisi in terra Mainotarum. Colocythia magis meridiem versus sita est, illo ferme loco, quo Las vicus quaerenda est.

Inscriptiones et numi urbis Gythei.

I. Inscriptiones.

Boeckh, corp. inscript. nr. 1325. p. 649.

Τίτον Τίτου Κοΐγτιον στραταγὸν ὕπατον Ῥωμαίων ὁ δᾶμος ὁ Γυθεατᾶν τὸν αὐτοῦ σωτῆρα.

Boeckh, l. c. nr. 1392. p. 671.

Ἡ] λαμ[π]ρὰ τῶν Γυθεατῶν πόλις Μαρ. Αὐρ. Καλοκλέα Νεικάνδρου [τὸν] εὐγενέστατον αἰώνιον ἀγωνοθέτην τὸν ἱερέα τῶν ἐπιφανεστάτων θεῶν, Διὸς βουλαίου καὶ Ἡλίου καὶ Σε[λ]λήνης καὶ Ἀσκληπ[ι]οῦ καὶ Ὑγίας καὶ . . . .

II. Numi.

A. *Autonomus.*

a) Caput Bacchi, hedera et cocymbis coronatum.

---

144) III. 26. 5.

145) Paus. III. 26. 6. *Τὸ συνέδριον τὸ Ἐλευθερολακώνων* et Boeckh, c. inscr. I. p. 670. *τὸ κοινὸν τῶν Ἐλευθερολακώνων.* cf. Paus. l. l, Mueller, Dor, II. p. 22.

146) Boeckh, corp. inscript. I. p. 608. Mueller, Dor. II. p. 112. not. 3. Tittmann, Gr. Staatsverfassung p. 138. Gytheatarum numum, qui idcirco Augusti victoriam Actiacam celebrat, praebet Beger, l. infra laudando. Alias Eleutherolaconum numos et inscriptiones affert Mueller, Dor. II. p. 454.

b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ ΕΠΙΕΥΔΟ.* Victoria prorae navis insistens, dextra extensa sertum s. palmae ramum. *AE.* [147])

B. *Imperiales.*

Septimius Severus.

a) Caput Severi laureatum *ΛΟΥ. ΣΕΠ. ΣΕΥΗΡΟΣ ΣΕ...*
b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ.* — Apollo nudus stans, d. sagittam, s. arcum. *AE.* [148])

a) *ΛΟΥ. ΣΕΠ. ΣΕΥΗΡΟΣ.* Caput ejus laureatum.
b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ.* — Hercules stans clavae innixus. *AE.* [149])

a) *Α. Κ. Λ. ΣΕΠ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ.* Caput laureatum Septim. Severi.
b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ.* Aesculapius stans cum attributis; sacrificans in ara, circumque eam serpens. *AE.* [150])

Julia Domna.

a) *'ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ ΣΕΒ.* — Caput Juliae.
b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ.* Hercules Farnesius stans, dextra clavae innixus. *AE.* [151])

Caracalla.

a) *ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ.* — Caracallae caput laureatum.
b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ.* Mercurius stat ad aram, d. crumenam s. caduceum. *AE.* [152])

a) *ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ.* — Caput laureatum Caracallae. Paludamentum.

---

147) Golz, Graecia tab. XI. fg. I. p. 55. 56. Apud Rasche, lexic. univers. rei nummar. II. 1. p. 1559. Contra Eckhel, num. vet. p. 135. haec Spartanorum urbs, inquit, cum autonomis certis careat aliarum Peloponnesi urbium more in sola Severi familia numos signavit. Equidem cum Laur. Begero, l. l. p. 21. sqq. hoc numo victoriam Augusti apud Actium celebrari statuere malo, et caput non Bacchi sed Augusti ipsius esse arbitrari, quippe qui Gytheatas a Spartanorum imperio liberaret.

148) Eckhel, doctr. num. vet. tab. IX. fg. I. p. 135. — Rasche, l. l.

149) Rasche, l. l.

150) Mionnet, description des medailles antiq. Grecq. et Rom. t. II. p. 226.

151) Rasche et Mionnet, ll. ll.

152) Rasche, l. l. — Alius est apud Vaill. num. Gr. sed mulier innixa columnae d. caput sustinet. — *AE.*

b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ*. Figura stans barbata in pallium involuta, d. tenens vittam (bandelette) aut quid simile. *AE.* [153])

Plautilla.

a) *ΦΟΥΛΒΙΑ ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ ΣΕΒ.* Caput Plautillae.
b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ*. Idem mulieris ad columnam typus. *AE.* [154])

Geta.

a) *ΛΟΥ. ΣΕΠ. ΓΕΤΑΣ. Κ.* — Getae caput cum galea.
b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ*. Jupiter stans nudus, d. parvam tenens figuram, s. hastam. *AE.* [155])
a) *ΛΟΥ. ΣΕΠ. ΓΕΤΑΣ ΚΑΙ.* Caput nudum Getae. Paludamentum.
b) *ΓΥΘΕΑΤΩΝ*. Hercules nudus stans, clavae innixus, s. leonis pellem, dextram in tergo tenens. *AE.* [156])

ΓΥΤΤΕΩΝ. Gytteorum; forte idem ac *ΓΥΘΕΑΤΩΝ*. [157])

153) Mionnet, l. l.
154) Rasche et Mionnet, ll. ll.
155) Mionnet, l. l.
156) Mionnet, l. l.
157) Rasche, l. l.

Caput III.

Res navales Lacedaemoniorum.

Inter eas res, quae Lacedaemoniorum animum et studium a mari navalibusque expeditionibus tam diu averterunt, inprimis situs urbis et ingenium omnino Doriense nobis animadvertendum erit. Sparta urbs utraque ora plus ducentis stadiis remota, montibus et silvis circumdata, quae ne populo quidem commeatui et navigationi indulgenti opportunitates ejus exercendi poterat praebere, populum, qui quidquid peregrini a se removebat atque in se ipso acquiescere malebat, diu ab omnibus rebus navalibus abstineret oportuit [1]). Doriensium enim mores et indolem mediterranea et montana regio juvit, qua a ceteris exclusi innato et singulari ingenio indulgere poterant [2]), et magis haec natura et indoles Dorienses videtur commovisse, ut post Peloponnesi occupationem has regiones altis montibus interclusas, quibus postea eorum sedes occurrunt, sibi sumerent, quam eas illam indolem adduxisse statuendum [3]), quare apud Spartanos diutius quam alias innatum illud et primitivum Doriense ingenium vigere videmus. Etenim quem situm naturamque Plato [4]) condendae urbis praestantissimam laudat, si patrios mores servare vellet, ut a mari remotior sit, prop-

1) Hoc incommodum etiam alios non fugisse, demonstrat et Phliasii Patroclis oratio apud Athenienses de pace facienda imperioque dividendo, quam Xen. Hellen. VII. 1. 8. affert, *πρῶτον μὲν γὰρ οἰκοῦσιν* (sc. *οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *ἐν μεσογαίᾳ*, et Periclis ante bellum, Pelop. apud Thucyd. I. 120. *τοὺς δὲ τὴν μεσόγειαν μᾶλλον καὶ μὴ ἐν πόρῳ κατῳκημένους κ. τ. λ.*

2) Mueller, Aeginet. p. 145. „Doriensi placuit vita montana a frequentiori hominum coetu marique externos advehente remotior."

3) Mueller, Dor. II. p. 407. „Diese nationale Individualität liegt tiefer, als daß sie durch äußere Bedingungen hervorgebracht seyn könnte — — obgleich allerdings nicht zu zweifeln ist, daß dieser bestimmte Charakter binnenländische und gebirgige Wohnsitze brauchte, um sich consequent auszubilden und feste Grundsätze zu gewinnen." cf. II. 7.

terea quod ad mercaturam, rem moribus perniciosissimam nullas habeat opportunitates, regio vero ejusmodi ut omnia quidem ferat, sed non abunde; nam quae nihil ferat, mercatura indigeat et quae multa eaque abunde ferat, res, quae exportentur auro atque argento commutet, quibus pejus in civitatem nihil invehi possit; is apud Dorienses Spartanos adest.

Mox cum et felices successus in occupanda Peloponneso et regum potestatem auxissent [5]) et mores Doriensium corrupissent [6]), in antiquissima Doricae gentis indole restituenda Lycurgus operam collocavit [7]), cujus igitur studium cum imprimis in eo versaretur, ut antiqua revocaret et nova et peregrina arceret, praecipue prohibuit, quominus populus suus mercaturae et peregrinationibus in exterorum fines operam daret. Omne igitur commercium in Perioecorum manibus erat [8]), quod Spartani antiquis temporibus ne poterant quidem agere, quia pecunia ferrea, quae nullius pretii in vita communi erat, utebantur [9]). Idem consilium illi legi suberat, qua Spartani omnes peregrinos ab urbe sua prohiberent aeque ac illi qua eis interdictum erat, ne itinera facerent [10]). Quod vero Lycurgum imprimis commovisse videtur, ut populares suos ab omni commeatu cum exteris populis et navalium rerum maxime studiis removeret, fuit timor, ne populare imperium adduceretur, quod instituta ejus et leges, quibus statum praesentem in perpetuum continuare et firmare nitebatur, corrumperet [11]);

---

4) Plat. de legg. IV. p. 704. sqq. cf. Cic. de rep. II. 3. — Non esse opportunissimos situs maritimos urbibus, quae ad spem diuturnitatis conderentur atque imperii.

5) Aristot. Polit. V. 10. 3. *Λυκοῦργος καταλαβὼν πολλὴν ἀνομίαν ἐν τῇ πατρίδι καὶ Χαρίλαον τυραννικῶς ἄρχοντα κ. τ. λ.*

6) Herodot. I. 65. *τὸ δὲ ἔτι πρότερον τούτων καὶ κακονομώτατοι ἦσαν σχεδὸν πάντων τῶν Ἑλλήνων, μετέβαλον δὲ ὧδε εἰς εὐνομίην* — cf. Thucyd. I. 18. *ἡ γὰρ Λακεδαίμων μετὰ τὴν κτῆσιν τῶν νῦν ἐνοικούντων αὐτὴν Δωριέων ἐπὶ πλεῖστον ὧν ἴσμεν χρόνον στασιάσασα κ. τ. λ.*

7) cf. Mueller, Dor. II. p. 14. sqq. et Goettling ad Aristot. Polit. exc. I. p. 463. sqq.

8) Mueller, Dor. II. p. 26. „In den Händen der Seestädte war aller Handel, dessen Laconien nie entbehren konnte."

9) cf. Fr. Hermann, Gr. Staatsalterth. §. 28. 3.

10) ib. §. 28. 1. 2.

11) Nam civitatem, quae aut situ aut soli sterilitate ad mercaturam navigationemque animum converteret, libertati magis studere, ex

neve verus civium militaris animus, quo tota reipublicae constitutio, omniumque iustitutorum forma erat fulta, frangeretur, si populus militiae navali operam daret[12]). Non enim fortitudini solum sed quibuscunque virtutibus navalem militiam nocere antiquitus putatum, et nautae omnino male audiebant[13]); novum igitur Lycurgo argumentum, ut animos civium a mari averteret.

His itaque rationibus ductus Lycurgus in legibus suis aut maritimas expeditiones prorsus neglexit, iisque ne minimum quidem attribuit honorem, aut eas reipublicae institutiones fecit quibus prohiberentur necesse fuit; quare non mirandum est, si Spartanorum classem usque ad tempora belli Peloponnesiaci postrema et paucitate navium et imperitia ducum et inertia militum laborare videmus. Nam quam civitatis formam Lycurgi instituta attulerunt, eam navales res et maritimas expeditiones in contemtum ducere oportuit, quae ergo *Perioecorum* et *Helotum* curae prorsus relictae erant. — Cum in potestate urbium maritimarum omnis esset mercatura et Spartani antiquitus usque ad Persica bella ne naves quidem possedisse videantur, non dubium est, quin hae urbes et nautas et naves praeberent, quibus illi ad paucas minorisque momenti expeditiones indigebant[13a]). Maritima Messeniorum oppida in horum numero potissimum fuisse suspicor, quia Messenii jamdudum cum insulanis vicinis commercia habebant[14]) marique magis quam

---

permultis veterum locis apparet, quae collegit Fr. Hermann, l. l. §. 61. 6. sqq.

12) Militiam navalem verae fortitudini obesse jam Plato de legg. IV. 706 et 707. A. affirmat — *ὅτι κακὸν ἐν θαλάσσῃ τριήρεις ὁπλίταις παρεστῶσαι μαχομένοις.*

13) Baehr ad Plut. Philop. c. 14. p. 53. qui laudat Juven. Satyr. VIII. 174. et al.

13a) Hujusmodi erant hospitalia Spartanorum cum Croeso negotia apud Herodot. I. 69. 70 et 83 Et deinde expeditio contra Polycratem Sami tyrannum, ubi tamen Corinthii maximam navium partem praebuisse videntur. Herodot. III. 39. 44. sqq *ταύτην πρώτην στρατιὴν ἐς τὴν Ἀσίην Δωριέες ἐποιήσαντο.* ib. 56. Sed occupatio urbis validae, resistentibus viris maritimarum rerum peritissimis (Mueller, Aeginet. p. 67 et 68.) Lacedaemoniorum vires superabat. De causis hujus expeditionis cf. Manso, Sparta, I. p. 300. not. c. et Mueller, Dor. I. p. 171. qui in studio Spartanorum omnes illius temporis tyrannos expellendi causam invenit.

14) Paus. IV. 26. 3.

Lacedaemonii operam navabant ut inde patet, quod Ira capta magna eorum pars in naves confugeret, quibus in exteris terris novas sedes quaererent [15]) et quia ex Pausania [16]) constat incolas maritimae orae mitius a Spartanis tractatos esse, quam ceteros Messenios, quam ob rem magis iis obnoxii esse debebant.

Non tamen antiquissima solum aetate Spartani Perioecis ad militiam navalem usi sunt, sed per omnia tempora, minus fortasse tanquam nautis quam ut militibus navalibus (ἐπιβάταις) iisque gravis armaturae [17]). Sicut enim ne apud Athenienses quidem rerum navalium tantopere studiosos classiarii milites tanto honore fruebantur, quanto pedestres copiae, sed cives classium inferiorum, capite censi et inquilini in triremibus pugnabant [18]), dum priorum ordinum cives peraegre tantum et necessitate coacti naves conscendunt [19]), sic etiam magis apud Spartanos, qui tantopere militiam pedestrem diligebant, quantopere navalem despiciebant, quorumque omnis ars militaris terrestribus modo bellis et proeliis erat idonea. Itaque omnes milites, qui navibus Lacedaemoniis sunt impositi cujuscunque armaturae praeter socios, aut Perioeci aut Helotes fuisse videntur, antequam Lacedaemonii stipendiariis uterentur; mille igitur illos milites gravis armaturae, quos Cnemus secum duxit in classe, Perioecos fuisse arbitror [20]); quin anno

---

15) Paus. IV. 23. 1.

16) Paus. IV. 24. 2. et IV. 35. 2. Manso, Sp. I. p. 294. et Mueller, Dor. II. p. 47.

17) Perioecos in militia gravis armaturae stipendia meruisse et mari et terra, docet Mueller, Dor. II. p. 255. sqq.

18) Fr. Hermann, l. l. §. 108. 12.

19) Thucyd. VIII. 24. *εἶχον δὲ ἐπιβάτας τῶν ὁπλιτῶν ἐκ καταλόγου ἀναγκάστους.* — cf. Boeckh. Oecom. polit. I. p. 282.

20) Thucyd. II. 66 et 50. in expeditione adversus insulam Zacynthum et postea contra Acarnanos. — Hi milites non Spartani fuisse possunt, quia eodem tempore maxima illorum pars cum rege ipso in Attica versarentur, et hi a Perioecis comitati, Thucyd. IV. 8. Idem accidit post Siciliensem cladem, ubi Peloponnesiorum classis florebat, dum Agis cum Spartanis continuo Deceleam tenet occupatam Finito Peloponnesiaco bello regem Agesilaum in expeditione contra Tissaphernem *triginta* dumtaxat Spartani secuti sunt. Xen. Hellen. III. 4. 2 et 20. IV. 1. 5. 30 et 34. V. 3. 8. Plut. Agesil. 6. 7. Lysand. 23. Diod XIV. 79. Mueller, Dor. II. p. 241. „Sie waren wahrscheinlich dem Könige zugleich Leibwache und Rath. So kann man sie für die in's Kurze zusammengezogenen Dreihundert ansehen, die den König nur bei minder entfernten Heereszügen begleiteten."

vicesimo belli Pelop. Perioecus quidam Deiniadas tanquam dux paucarum navium occurrit, quod certo fieri non poterat, nisi prudentia et consilio prae ceteris eminuisset, quod exercendo solum acquiri potest [21]).

Majora Perioecis opera in rebus maritimis Spartanorum praestabant servi et libertini, qui communi nomine Helotum comprehenduntur. Perioeci ut *ὁπλῖται* stipendia poterant merere [22]), servi solum tanquam milites levis armaturae (*ψιλοί*) et terra et mari dimicabant [23]) et classe ad naves dirigendas Spartani iis potissimum utebantur. Inter eos tamen, quod ad classem attinet, duo genera erunt distinguenda: *a*) *νεωδαμώδεις*, veri libertini [24]), et *b*) *δεσποσιοναῦται*.

---

21) Quamvis Mansonis argumentatio (Spart. II. p. 376.) apposito verbo *περίοικος* scriptorem indicare voluisse, iis de more imperium non datum esse, jure a Kruegero ad Dion. Halic. p. 294. ut inepta repugnetur, tamen res ipsa non dubia est, et ex contemtu rerum navalium apud Spartanos et ex majore maritimarum urbium scientia explicari potest. Mueller, Dor. II. p. 30. „Wir finden das Amt eines Befehlshabers zur See einem Periöken übertragen, ohne Zweifel weil die Spartiaten dieß minder achteten, und der Bewohner der Küstenstädte im Seewesen geübter und erfahrener seyn mochte, als der binnenländische Dorier." In Xenoph. Anabas. quoque V. 1. 15. Dexippus Perioecus tanquam praefectus navis Trapezuntiorum occurrit.

22) Mueller, Dor. II. 27. „Auch scheinen die Spartiaten nur landbauende Periöken zu Hopliten genommen zu haben, gewerbtreibende zu leichtbewaffneten (Xen. rep. Laced. 11.) wie ehemals in Athen die Theten, zu denen die Handwerker gehörten, auch nur als solche dienten."

23) Raro etiam Helotes in gravi armatura militiam faciebant, qui deinde plerumque liberantur. cf. Thucyd. IV. 80. cl. V. 34 et 67. et VII. 19.

24) = *νέος δαμώδης*, novus popularis, qui recens in civitatem adscriptus est. Conditionem eorum, Thucyd. VII. 58. optime indicat: *δύναται δὲ τὸ νεοδαμῶδες ἐλεύθερον ἤδη εἶναι*, ubi Schol. *νεοδαμώδης, ὁ ἐλεύθερος παρὰ τοῖς Λακεδαιμονίοις*, unde Mueller, Dor. II. p. 45. ratiocinatur: Helotes tunc demum *νεοδαμώδεις* fuisse appellatos, cum aliquamdiu libertate jam essent donati; quod optime congruit cum Eustath. ad Il. XV. 443. p. 1031. — *ἦσαν δὲ καὶ οἱ νεοδαμώδεις ἕτεροι τῶν Εἱλώτων* — et cum Myrone apud Athen. VI. 20. 271. f. — qui Helotes et Neodamodes disjungunt, et cum Thucyd. V. 34 et 67. ubi etiam Brasidae milites recens in civitatem recepti a Neodamodis discernuntur. Eorum copiam ad civium fere numerum auctam esse probabile est, quod tanta vis educi posset (cf. Plut. Agesil. c. 6.) Manumissione etiam libertas habitandi ubi vellent (Thucyd. V. 34. *οἰκεῖν ὅπου ἂν βούλωνται*) ideoque igitur agri quidquam extra domini sortem iis datum esse videtur (Thucyd. IV. 80.) Pollux, III. 83. dicit: *τοὺς εἰς ἐλευθερίαν τῶν Εἱλώτων ἀφιεμένους*

Quid sint priores et qua ab re ita appellati, jam satis constat; nostra tantum interest, quo officio in triremibus et rebus mari gestis fungerentur, cum eorum nomina tam saepe ibi occurrant. His libertinis [25]) Spartanos in expeditionibus longinquis, quas in remotiores et exteras terras susciperent, praecipue usos esse, ex permultis veterum locis apparet [26]) non tamen ut nautis et remigibus [27]) sed tanquam classiariis sive militibus navalibus. Etenim cum Perioeci vel non sufficerent, vel in gravi armatura militiam facere juberentur, neque Spartani eos in longius tempus emittere vellent, saepe libertini et optimi ceterorum Helotum electi [28]) in navibus collocati sunt. — *Δεσποσιοναύτας* contra Helotes fuisse suspicor, qui in navibus officiis nautarum et remigum fungentes propter merita liberiore ceteris conditione fruebantur [29]).

οἱ Λακεδαιμόνιοι νεοδαμώδας καλοῦσιν. Plura de iis vide sis apud Fr. Hermannum, l. l. §. 24. 14.

25) Licet hoc nomine non solum *νεοδαμώδεις* intelligantur, sed etiam *ἀφεταὶ, ἀδεσπότοι, ἐρυκτῆρες* et *δεσποσιοναῦται* a Myrone apud Athen. l. l. et ab Eustath. l. c. cum iis conjungantur, equidem tamen illo vocabulo *νεοδαμώδεις* tantum intellectos velim, et quod ceteri cum re navali nihil commune habuisse videntur, et quod *δεσποσιοναύτας* minore libertatis conditione fruitos esse opinor.

26) Ut in expeditione Brasidae adversus Thraciae (*τὰ ἐπὶ Θρᾴκης*) urbes Atheniensibus subjectas apud Thucyd. IV. 78 et 82. sqq., qui deinde manu missi sunt — *οἱ Βρασίδειοι* — Thucyd. V. 67 et 34. ut Diod. XII. 67. — *χιλίων Εἱλώτων παραγενομένων.* — Gylippi, Syracusanis auxilio. Thucyd. VI. 91. et VII. 1. Diod. XIII. 7. et Thucyd. VH. 19. *ξυναμφοτέρων* (Helotum et libertinorum) *ἐς ἑξακοσίους ὁπλίτας.* et VII. 58. cf. Diod. XIII. 8. — Thimbronis in Asiam (Xen. Hellen. III. 1. 4. *τῶν νεοδαμωδῶν ἐς χιλίους.* cf. Diod. XIV. 36. Agesilai ib. III. 4. 2. *ἐς δισχιλίους δὲ τῶν νεοδαμωδῶν.*

27) Nisi ipsi *αὐτερέται* fuerunt quales Alcibiad. Spartanis auctor fuit mittendi in Siciliam. Thucyd. VI. 91.

28) *Λακεδαιμόνιοι μὲν τῶν τε Εἱλώτων ἐπιλεξάμενοι τοὺς βελτίστους καὶ τῶν νεοδαμωδῶν, ξυναμφοτέρων ἐς ἑξακουσίους ὁπλίτας κ. τ. λ.* Thucyd. VII. 19.

29) Mueller, Dor. II. p. 39. „Auf der Flotte versahen wohl die Heloten besonders den Matrosendienst, wozu man in Athen die niedern Bürger und Sclaven nahm; als solche hießen sie, scheint es, *δεσποσιοναῦται.*" et ibid. 45. „Die *δεσποσιοναῦται*, die auf der Flotte dienten, ähnelten wahrscheinlich den Attischen Freigelassenen, die *χωρὶς οἰκοῦντες* hießen." de quibus egregie Boeckh, oecon. polit. Athen. I. p. 281. — Eos non servos fuisse jam inde patet, quod a Myrone ap. Athen. l. l. et Eustath. l. l. XV. 443. p. 1031. — *ἄλλοι δεσποσιοναῦται, οὓς εἰς τοὺς στόλους κατέτασσον* — inter eos memorantur, quos a Lacedaemoniis manumissos esse docent. Casaubonus eos herilium navium magistros appellat.

Cum vero nimia bella vires civitatum contrivissent, et sociorum animos suspensos et incertos fecissent, Graeci *militum mercede conductorum* opera uti coeperunt [30]). Jam ante bella Medica quidem tyranni [31]) et barbaros et Graecos mercenarios conduxerunt, in quibus Arcades [32]) et Cretenses [33]) primum tenent locum. Inter Graecas vero civitates Athenienses primi tempore sui principatus tunc omnium ditissimi, mercenarios in stipendium sumsisse, et potissimum in naves distribuisse videntur [34]), quorum numerum Pelop. bello auctum esse, jam per se patet [35]). Quam ob rem Spartani, eorumque socii nisi copiarum multitudine superari vellent, idem facere coacti erant [36]).

---

30) De stipendiariis cf. Drumann, Geschichte des Verfalls der gr. Staaten p, 644—666. — Heeren, Ideen III. 1. p. 362—357. Wachsmuth, Hellen. Alterthumsk. I. 2. p. 309. ff. apud Athenienses: Böckh, Staatshaushaltung der Athener I. p. 291. 92.

31) Ut Pisistratus ejusque filii. Thucyd. VI. 57. Polycrates (*χιλίους τοξότας*) Herodot. III. 39. Gelo, Diod. XI. 67. 72.

32) Herodot. VIII. 26. Thucyd. VII. 57. *Μαντινῆς δὲ καὶ ἄλλοι Ἀρκάδων μισθοφόροι* et ib. 58. — Athen. I. p. 27. *ἀπὸ δ' Ἀρκαδίας ἐπικούρους.* Thucyd. III. 34. *ἐπικούρους Ἀρκάδων.* ib. VII. 19.

33) Paus. IV. 8. 1. IV. 10. 1. IV. 19. 3. Thucyd. VI. 43. Thucyd. VI. 25. Liv. XLIII. 9. (al. 7.)

34) Thucyd. I. 121. *ὠνητὴ γὰρ Ἀθηναίων ἡ δύναμις μᾶλλον ἢ οἰκεία.* — Hanc perniciem apud Athenienses insulanos adduxisse, qui pro navibus et militibus tributa pendere malebant Thucyd. I. 99. docet cf. Wachsmuth l. l. 10. 310. sqq.

35) Thucyd. IV. 129. *καὶ Θρᾳξὶ μισθωτοῖς χιλίοις* V. 6. *ἄξαντα μισθοῦ Θρᾷκας ὡς πλείστους.* VII. 27. 29. et VI. 43. *Κρῆτες οἱ ὀγδοήκοντα.* et VII. 57. Böckh, Sthhltg. I. p. 291.

36) Drumann l. l. p. 646. 47. „Wenn sich ein Staat durch gedungene Krieger verstärkte — — so sah sich der andere auch dazu genöthigt, wenn er ihm auch an Kräften gleich gewesen war, um nicht von der Uebermacht erdrückt zu werden." Jam initio belli igitur Peloponnesii Atheniensibus peregrinos mercede majore subtrahere posse spectabant, Thucyd. I. 21. *δάνεισμα γὰρ ποιησάμενοι ὑπολαβεῖν οἷοί τε ἐσμὲν μισθῷ μείζονι τοὺς ξένους αὐτῶν ναυβάτας.* VII. 19. *οἱ Κορίνθιοι — πεντακοσίους ὁπλίτας, τοὺς μὲν ἐξ αὐτῆς Κορίνθου, τοὺς δὲ προςμισθωσάμενοι Ἀρκάδων — ἀπέπεμψαν.* et I. 60. *καὶ τῶν ἄλλων Πελοποννησίων μισθῷ πείσαντες* — et Lacedaemonii ipsi Thucyd. IV. 80. *τοὺς δ' ἄλλους ἐκ τῆς Πελοποννήσου μισθῷ πείσας* (*ὁ Βρασίδας*) *ἐξήγαγεν.* et V. 6. Quo minus tamen eorum numerus apud Peloponnesios major fieret, obstitit tum pecuniae inopia, tum timor stipendiariorum, ne si Atheniensium partibus relictis postea caperentur, maxima poena afficerentur. Thucyd. I. 143. Hos milites tamen non mercenarios fuisse, sed auxiliares copias Graecarum civitatum (*ἐπικούρους*) quibus Peloponnesii fortasse stipendia suppeditassent, opinatur Wachsmuth, l. l. p. 310.

Eorum numerus valde augebatur post bellum Pelopon. quo tempore permulti cives sensim sensimque arma tractare desinebant, et bella maxime per stipendiarios gerebantur [37]). Si quis igitur mercedem obolo auxit, hostibus copias illorum militum subtrahere potuit [38]). Praesertim Spartani Persico auro adjuti, agmina eorum conduxere, quae Agesilaus, cum Graecis Asiae minoris mollibus et ignavis [39]), sed ditissimis, permisit, ut alios suo loco in exercitibus collocarent [40]), ampliora reddidit, et quum socii Spartanorum postea in expeditionibus longinquis et diutinis civilium militum loco pecuniam praebere mallent [41]), mercenarii facilius conduci poterant. Id postmodum eo venisse videmus, ut interdum soli duces cum paucis navibus et argenti copia emitterentur, qua exercitum colligerent ubi et quantum necessarium putarent [42]). Cetratis vero, quos Iphicrates et Chabrias feliciter adhibebant [43]), Spartani raro tantum usi esse videntur [44]).

Hos mercenarios Spartani ipsi terrestrium bellorum amantes certo initio classi dumtaxat imposuere. Corinthii enim in Peloponnesiorum concilio peregrinos Atheniensium nautas perlicere volunt [45]) et eorum tantum etiam Pericles facit men-

---

37) Optimum argumentum innumerae copiae perhibent, quas Cyrus adversus fratrem Artaxerxem duxit, quasque Isocrat. Paneg. 40 nimium certo reprehendit: *οἵ διὰ φαυλότητ' ἐν ταῖς αὑτῶν οὐχ οἷοι τ' ἦσαν ζῆν.* — Xen Hellen. IV. 4. 14. *ἐκ δὲ τούτου στρατιαὶ μὲν μεγάλαι ἑκατέρων διεπέπαυντο — — — μισθοφόρους γε μὴν ἑκάτεροι ἔχοντες διὰ τούτων ἐῤῥωμένως ἐπολέμουν.*

38) Xen. Hellen. I. 5. 4. sqq. *ὅτι, ἄν οὗτος ὁ μισθὸς γένηται, οἱ τῶν Ἀθηναίων ναῦται ἀπολείψουσι τὰς ναῦς.* cf. Thucyd. VIII. 45. et Diod. XIII. 52.

39) Xen. Hellen. III. 2. 17.

40) Xen. Hellen. III. 4. 15.

41) Xen. Hellen. V. 2. 22. *λόγοι δὲ ἐγένοντο ἀργύριόν τε ἀντ' ἀνδρῶν ἐξεῖναι διδόναι τῇ βουλομένῃ τῶν πόλεων.* et VI. 2. 5.

42) Ut Anaxibius, Xen. Hellen. IV. 8. 32. *οἱ μὲν δὲ δόντες καὶ τρεῖς τριήρεις, καὶ ἀφορμὴν ἐς ξένους χιλίους.* Boeckh, Oecon. polit. I. p. 291. Zehntausend, zwanzigtausend Söldner pflegten geschrieben zu stehen, aber es war eine papierne Macht, und ein leerer Volksbeschluß zog mit einem Feldherrn aus.

43) *Τὸ ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ·* cf. Hermann, l. l. §. 171. 15. et 30. 11.

44) Ut apud Thucyd. IV. III. et Xen. Hellen. IV. 2. 5. *καὶ ὁπλιτῶν καὶ τοξοτῶν καὶ πελταστῶν.*

45) Thucyd. I. 121.

lionem [46]). Lysander nautas hostium naves relicturos putat, si stipendium augeretur [47]), et Cephisodotus dehortatus est Athenienses, ne, cum Spartani post pugnam Leuctricam legatos misissent, qui cum Atheniensibus foedus facerent, ut Spartani terra, illi mari imperium tenerent, hanc conditionem acciperent, quod Lacedaemonii in navibus Helotes tantum et mercenarios mitterent [48]). Endius quoque dicit apud Diod. XIII. 53. Spartanos, classe per mare expedita, navigiorum tantum discrimen subire, Athenienses vero majorem civium partem in navibus habere.

Praeterea Lacedaemoniis obfuit, quo minus tantum, quantum Athenienses mari valerent, quod, exercitatione deficiente, ne gubernatores quidem peritos haberent, ideoque peregrinorum opera in navibus dirigendis uti deberent, quod impedimentum etiam Pericles in mentem civium suorum intulit [49]). In horum numero praesertim eos fuisse, quibus Samiorum optimates Lacedaemonios juvarent, a Thucydide docemur [50]).

Cur vero, aliquis interroget, Peloponnesii se non magis exercebant, in quibus tamen Corinthii erant, qui omnium primi triremes aedificarunt [51]) et aliae civitates maritimae — ut per viginti belli annos ne unus quidem praefectus memorabilis exsisteret, et in omnibus proeliis navalibus tanquam tirones appareant? Ad hanc quoque quaestionem Pericles respondet [52]). Peloponnesi incolae, Doricae maxime originis et Arcadicae,

---

46) Thucyd. I. 143. *εἴτε καὶ — μισθῷ μείζονι πειρῷντο ἡμῶν ὑπολαβεῖν τοὺς ξένους τῶν ναυτῶν κ. τ. λ.*

47) cf. not. 38.

48) Xen. Hellen VII. 1. 12. *Οἱ δὲ ναῦται δηλονότι ἔσονται ἢ εἵλωτες, ἢ μισθοφόροι.*

49) Thucyd. I. 143. *καὶ ὅπερ κράτιστον κυβερνήτας ἔχομεν πολίτας καὶ τὴν ἄλλην ὑπηρεσίαν πλείους καὶ ἀμείνους ἢ πᾶσα ἡ ἄλλη Ἑλλάς.*

50) Thucyd. IV. 75. *ἔνθα οἱ φεύγοντες τῶν Σαμίων κατασιάντες τούς τε Πελοποννησίους ὠφέλουν ἐς τὰ ναυτικὰ κυβερνήτας πέμποντες.* — Xen. Hellen. I. 6. 32. *Ἕρμων δὲ Μεγαρεὺς ὁ τῷ Καλλικρατίδᾳ κυβερνῶν.*

51) Thucyd. I. 13. *καὶ τριήρεις πρῶτον ἐν Κορίνθῳ τῆς Ἑλλάδος ἐνναυπηγηθῆναι.*

52) Thucyd. I. 141. *αὐτουργοί τε γάρ εἰσι Πελοποννήσιοι* et 142. *ἄνδρες γεωργοὶ καὶ οὐ θαλάσσιοι.* cf. I. 80. et praeterea Diod. XIII. 52. *ἡμεῖς μὲν ἅπασαν τὴν Πελοπόννησον γεωργοῦμεν.*

omnes agriculturae operam dabant, quare non otium habebant navalis rei exercendae. Quin etiam si sese exercere voluissent, num id Athenienses, mirando navium numero instructi concessissent, annon potius omnibus viribus impedivissent? [53]) Quod vero ad Corinthios attinet, mercaturae quidem optimam dabant operam, sed minimam bellis maritimis; quorum imperitia classi pugnandi jam in bello cum Corcyraeis magisque in certamine cum Atheniensi Phormione apparet [54]). Quo accedit initio et pecuniae inopia et praefectorum classis inscitia, quare interdum factum est, ut classiarii obedientiam detrectarent, res sane perniciosissima [55]).

Aliud interdum impedimentum et maritimis et terrestribus expeditionibus commune superstitio omnium Graecorum, imprimis Spartanorum [56]) atque tarditas eorum et segnities fuit, quam ipse Thucydides in iis reprehendit [57]). Cum vero jam Lacedaemonii mari potentes esse coepissent, nonnunquam lex, ex qua praefectus non diutius quam annum neve bis idem classi praeesset, magno obstabat commodo [58]), cum hoc modo, quod unus bene fecisset, alter corrumperet.

---

53) Thucyd. I. 42. *καὶ προςέτι οὐδὲ μελετῆσαι ἐασόμενοι διὰ τὸ ὑφ' ἡμῶν πολλαῖς ναυσὶν ἀεὶ ἐφορμεῖσθαι* cf. I. 80. *εἰ δὲ μελετήσομεν καὶ ἀντιπαρασκευασόμεθα, χρόνος ἐνέσται* et (ib. I. 142.) *τὸ ναυτικὸν τέχνης ἐστὶν ὥσπερ καὶ ἄλλο τι καὶ οὐκ ἐνδέχεται ὅταν τύχῃ ἐκ παρέργου μελετᾶσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον μηδὲν ἐκείνῳ πάρεργον ἄλλο γίγνεσθαι.*

54) Thucyd. I. 29 et 49. et II. 83. 84. cf. Diod. XII. 48.

55) Thucyd. VIII. 78. 79. et Xen. Hellen. VII. 1. 9. *καὶ τὸ πλείστου δὲ ἄξιον τὸ πείθεσθαι τοῖς ἄρχουσιν, οὗτοι μὲν (οἱ Λακεδαιμόνιοι) κράτιστοι κατὰ γῆν, ὑμεῖς δὲ κατὰ θάλατταν.*

56) Drumann, Geschichte des Verfalls der gr. Staaten p. 692. sqq. et de Spartanis in specie Poppo prolegg. ad Thucyd. I. 2. p. 106.

57) Thucyd. VIII. 96. *διάφοροι γὰρ πλεῖστον ὄντες τὸν τρόπον, οἱ δὲ βραδεῖς, καὶ οἱ μὲν ἐπιχειρηταί, οἱ δὲ ἄτολμοι ἄλλως τε καὶ ναυτικῇ ἀρχῇ πλεῖστα ὠφέλουν.* et I. 118. *ὄντες μὲν καὶ πρὸ τοῦ μὴ ταχεῖς ἰέναι εἰς τοὺς πολέμους, εἰ μὴ ἀναγκάζοιντο*, et Isocrat. de Pace c. 25. Ipse Liv. XLV. 23.

58) Plura de ea infra. Jam Lysandri ipsius fautores eam reprehendebant: Xen. Hellen. I. 6. 4. *ὅτι Λακεδαιμόνιοι μέγιστα παραπίπτοιεν ἐν τῷ διαλλάττειν τοὺς ναυάρχους πολλάκις ἀνεπιτηδείων γιγνομένων καὶ ἄρτι ξυνιέντων τὰ ναυτικά, καὶ ἀνθρώποις ὡς χρηστέον οὐ γιγνωσκόντων, ἀπείρους δὲ θαλάττης πέμποντες καὶ ἀγνῶτας τοῖς ἐκεῖ, κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο.*

Omnibus igitur, quae attuli, comprehensis quisquis facile intelliget, neque terram Laconicam sine idoneis portubus, neque indolem incolarum neque instituta Spartanorum, maritimas expeditiones favisse, quare non mirari debemus, quod Lacedaemonii tam diu mari invalidi appareant, sed potius quod industria et studio postea omnibus impedimentis victis etiam ibi victores evaserint.

Conspectus historiae rerum a Lacedaemoniis mari gestarum.

Res Lacedaemoniorum mari gestae in duas periodos optime dividuntur:

I. Periodus complectitur tempora ante Atheniensium cladem Siciliensem usque ad annum 412 a. Chr.

II. Tempora post eam usque ad pugnam navalem apud Naxum, anno 376 a. Chr.

I.

A. *Historia.*

Ante bella Persica nulla maritima Lacedaemoniorum expeditio memoratur, praeter illam adversus Samum, cujus jam mentionem feci. Ignorantiam rerum gentiumque transmarinarum in Asiam missi legati testantur, qui Cyrum minis absterrerent ne Graecas civitates aggrederetur, quod Spartani id non permissuri essent [59]) et hanc ignorantiam ad bella usque Persica permansisse Herodotus docet [60]).

Mirum aliquis putaret Lacedoemonios apud Artemisium decem tantum naves praebuisse, cum parva gens Megarensium

---

59) Herodot. I. 152.

60) Herodot. VIII. 132. *οἱ προήγαγον αὐτοὺς μόγις μέχρι Δήλου· τὸ γὰρ προσωτέρω πᾶν δεινὸν ἦν τοῖσι Ἕλλησι, οὔτε τῶν χώρων ἐοῦσι ἐμπειροισι — — τὴν δὲ Σάμον ἐπιστέατο δόξῃ καὶ Ἡρακλέας στήλας ἴσον ἀπέχειν*, ubi Wessel. annotat: „haud districte haec esse sumenda, nec de omnibus omnino Graecis, nam Atheniensibus ora Asiae et Thraciae ad Hellespontum navigationibus in Sigeum, Ephesum, Chersonesumque exploratissima fuisse, neque Spartanis ignotum Sami viciniaeque situm." (Herodot. III. 46.) Sed si animadvertimus, Themistoclem fuisse qui Atheniensibus classem pararet, cum antea tam parvi esset momenti, ut paucis annis ante in bello contra Aeginetas viginti mutuati sint naves a Corinthiis, Herodot. VI. 89. et Thucyd. I. 41., Spartae vero ex illa expeditione (525 a. Ch.) usque ad hoc bellum novam paene generationem exstitisse, omnium rerum navalium expertem, et Herodoto aliquam fidem tribuemus.

viginti daret [61]), et apud Salamina non plus sedecim [62]); sed cum reipublicae paupertas illa aetate, quae copiam navium exstruendarum abstulit, tum Spartanorum ingenium, omnes eorum curas in bellum terra gerendum convertit. Magis mirandum est, quod Lacedaemonii totius Graecae classis tenerent imperium, cum Athenienses dimidiam prope navium partem praeberent [63]), cujus rei Herodotus (III. 3.) affert causam. Spartani enim maxima fruebantur auctoritate, neque ulla civitas cum iis de imperio contendere ausa est, dum Athenienses, nuper demum Themistoclis opera classe instructi, ceteris civitatibus pares videbantur, quarum igitur invidia hanc praestantiam iis concedere noluit. Nam Spartanos ipsos valde studuisse ut maritimum quoque imperium sibi imponeretur, nusquam reperi; sed potius ex orationibus apud Gelonem Syracusanum [64]) habitis, et ex rumoribus, quos Herodotus affert [65]), apparere videtur, Lacedaemonios non tam aegre laturos fuisse, si Athenienses classi imperassent. Quin cum Themistocles Spartam venisset, tantum abest, ut ei inviderent, ut maximis eum honoribus afficerent [66]). Athenienses, libertatis amantissimi, ne certando Graeciam perderent, sponte cedebant. Nam profecto neque Corinthii, quorum dux semper Themistocli adversabatur [67]), neque alii multi, Atheniensibus classi praepositis, Graeciae libertatem defendissent; quod Lacedaemonios videtur commovisse, ut paucas naves, Eurybiade duce, emitterent, quod fortasse non fecissent — sicut Athenienses etiam terrestri exercitui nullas suppeditarunt milites, neque ulla civitas praeter Corinthios et naves et

---

61) Herodot. VIII. 1.

62) Herodot. VIII. 43.

63) Apud Artemisium centum et viginti septem ex ducentis septuaginta una Herodot. VIII. 1., quas deinde quinquaginta tres subsecutae sunt, ib. 14. Apud Salamina centum et octoginta inter trecentas septuaginta octo, quae adfuerunt. Herodot. VIII. 43. 44.

64) Herodot. VII. 157. sqq.

65) VIII. 3. *Ἐγένετο γὰρ κατ' ἀρχὰς λόγος, πρὶν ἢ καὶ ἐς Σικελίην πέμπειν ἐπὶ συμμαχίην ὡς τὸ ναυτικὸν Ἀθηναίοισι χρεὼν εἴη ἐπιτρέπειν.*

66) Herodot. VIII. 124. Thucyd. I. 74. *καὶ αὐτοὶ διὰ τοῦτο μάλιστα δὲ ἐτιμήσατε ἄνδρα ξένον τῶν ὡς ὑμᾶς ἐλθόντων.* Diod. XI. 27. ineptum affert argumentum.

67) Herodot. VIII. 5.

pedestres copias praebuit — si omnes Graeci consensu imperium maritimum Atheniensibus tradere voluissent.

Non dubium vero est, quin ipso hoc bello Lacedaemoniis in mentem venerit, etiam in posterum hunc principatum extra Peloponnesum sibi arrogare; sed Aristidis probitas et Themistoclis prudentia tam auctoritatem apud insulanos et maritimas civitates, quam opes Atheniensium in dies auxit, quam ob rem Lacedaemonii, jam dudum illam civitatem nova reipublicae forma elatam suspicione intuentes, Pausaniam viginti navibus, quas Atheniensium triginta secutae sunt [68]), in Asiam miserunt, qui liberatis illic Graecis civitatibus auctoritatem labentem restitueret. Sed hujus ipsius aperta proditio [69]) celerius adduxit, quod evitare voluerant, ut omnes scilicet civitates, praeter Peloponnesios Atheniensibus imperium committerent et Dorci, quem Lacedaemonii Pausania revocato, in hujus locum cum quibusdam aliis Spartanis emiserant, non obedirent [70]). Altercatione deinde Spartae exorta animisque plurimorum inclinatis imperium amissum armorum vi recuperare, Hetoemaridas Spartanus ex Herculis stirpe, in senatu, ad quem postremum res relata erat, orationem habuit, in qua gravissimis argumentis exposuit, Spartanorum reipublicae minime convenire, ut maris imperium affectarent, et iis tandem persuasit, ut Atheniensibus sponte concederent, quod hi antea omnibus viribus adpetierant [71]).

Tempora, quae nunc sequuntur, Atheniensium praesertim rebus gestis insignia sunt, cum Spartani internis bellis perturbati, horum superbiam et potiundi cupidinem diu quiete sustinerent, donec ob eas bellum Peloponnesiacum adduceretur. Ex sociis, qui hoc in bello a Lacedaemoniorum partibus steterunt, Corinthii, Megarenses, Sicyonii, Pellenenses, Elei, Ambra-

68) Thucyd. I. 94. Diod. XI. 44. contra, Pausaniam cum quinquaginta navibus ex Peloponneso profectum esse, affirmat.

69) Thucyd. I. 95. 128. sqq. Corn. Nep. c. 2. Diod. XI. 46. 47.

70) Thucyd. I. 128. Postea Pausanias invitis Lacedaemoniis iterum Byzantium contendit.

71) Diod. XI. 50. Thucyd. I. 95. *καὶ ἄλλους οὐκέτι ὕστερον ἐξέπεμψαν οἱ Λακεδαιμόνιοι — — ἀπαλλαξείοντες δὲ καὶ τοῦ Μηδικοῦ πολέμου καὶ τοὺς Ἀθηναίους νομίζοντες ἱκανοὺς ἐξηγεῖσθαι καὶ σφίσιν ἐν τῷ τοτε παρόντι ἐπιτηδείους.*

ciotae et Leucadii, praeterea Siciliae et Italiae urbes conjunctae classem exstruere jussi erant [72]), quae quingentis navibus constaret, quarum tamen initio belli paucae dumtaxat adfuisse videntur, quod Athenienses bis nusquam impediti circum Peloponnesum depopulantes navigarunt [73]). Tertio demum belli anno, cum quadraginta Corinthiorum naves in sinu Corinthiaco ab Atheniensium viginti triremibus, Phormione duce, partim fugatae partim captae et immersae essent [74]), Lacedaemonii miserrimam classis conditionem animadverterunt atque culpam ignaviae militum ducumve imponere malebant, quam ut Atheniensibus tantopere exercitatione et peritia inferiores esse faterentur [75]). Emissis igitur tribus viris, quorum consilio Cnemus uteretur, et classe nova septuaginta septem navium parata, iterum navale proelium (apud Rhium) cum iisdem viginti navibus ineunt, atque initio victores, cum Athenienses negligentius persequerentur, iterum victi in omnibus posteris expeditionibus valde Atheniensium naves agilitatemque timebant [76]).

Quarto et quinto anno Peloponnesii a Lesbiis defectionem parantibus admoniti, insulanorum aliorumque in Asia Graecorum ope maritimum imperium acquirere conabantur, qui tamen conatus Alcidae tarditate, ignavia et stulta crudelitate prorsus eos fefellit [77]), donec septimo belli anno jactura sexaginta

---

72) Thucyd. II. 7 et 9. Diod. XII. 41. Siciliotae tamen et Italiotae nullas naves miserunt, quamvis Diod. XII. 41. teste ducentas promisissent.

73) Thucyd. II. 23 et 56. Diod. XII. 43 et 44.

74) Thucyd. II. 83. 84. Diod. XII. 48.

75) Thucyd. II. 85. *ἐδόκει γὰρ αὐτοῖς ἄλλως τε καὶ πρῶτον ναυμαχίας πειρασαμένοις πολὺς ὁ παράλογος εἶναι καὶ οὐ τοσούτῳ ᾤοντό σφων τὸ ναυτικὸν λείπεσθαι, γεγενῆσθαι δέ τινα μαλακίαν, οὐκ ἀντιτιθέντες τὴν Ἀθηναίων ἐκ πολλοῦ ἐμπειρίαν τῆς σφετέρας δι' ὀλίγου μελέτης.*

76) Ut prae ceteris conatus noctu Piraeci negligenter custoditi aggrediendi testatur, quem eorum tarditas et ignavia irritum reddidit. Thucyd. II. 39 et 94. Diod. XII. 49. et expeditio adversus plebem Corcyraeam, qua duodecim Atheniensium navibus totam classem LIII navium opposuerunt. Thucyd. III. 69. 76. sqq.

77) Thucyd. III. 27—34. Diod. XII. 55. *πρὸς Λακεδαιμονίους ἀποστείλαντες (οἱ Λέσβιοι) πρεσβευτὰς, καὶ συμμαχίαν συνθέμενοι, συνεβούλευον τοῖς Σπαρτιάταις ἀντέχεσθαι τῆς κατὰ θάλατταν ἡγεμονίας.*

navium apud Pylum et nono anno induciae annuae, quae illam secutae sunt, omnes maritimas eorum expeditiones in plures annos tollerent [78]).

B. *Ars in committendis pugnis navalibus.*

Initio belli navales res Lacedaemonii prorsus negligebant, ne inter eos quidem nominantur, qui naves praebere jussi erant, ideo fortasse quod pauper civitas navium jacturam Tolmidae expeditione allatam, nondum resarserat [79]); hanc ob rem omnes, quos mari capiebant tanquam hostes interfecerunt, non solum eos, qui ab Atheniensium partibus stabant, sed etiam qui a bello alieni erant [80]). Populationes tandem perpetuae, quibus Peloponnesi orae fuerunt obnoxiae, eos commovisse videntur ut et ipsi rebus maritimis magis operam darent, et socios ad triremes praebendas hortarentur. Sed cum classe non simul nautas peritos oriri, mox apparuit, cum Athenienses et agilitate navium et ducibus ordines pugnarum componendi gnaris Peloponnesios valde antecederent. Cum enim Corinthii aliique socii Cnemo Acarnanes aggredienti auxilio ituri essent ab Atheniensi Phormione, qui apud Naupactum sinum Crissaeum observabat, medio in freto proelium navale inviti committere coacti sunt [81]). Itaque orbem (*κύκλον*) quam maximum fecerunt, ne hostium naves per mediam suam classem transcurrerent — *μὴ διδόντες διέκπλουν* — proras extra, puppes introrsum vertentes; parva navigia et quinque naves optime navigantes, ut, si qua hostes irruerent, ad eruptionem in eos faciendam praesto essent, in orbem receperunt. Athenienses

78) In quibus inter alias conditiones ea fuit, ne Lacedaemonii eorumque socii longis navibus uterentur, sed iis tantum, quae remis dirigantur (*ἄλλῳ δὲ κωπήρει πλοίῳ*) quibus quingenta talenta ponderis possent imponi. Thucyd. IV. 118. cf. Manso, II. p 136. m.

79) cf. supra p. 21.

80) Thucyd. II. 67. *πάντας γὰρ δὴ κατ' ἀρχὰς τοῦ πολέμου οἱ Λακεδαιμόνιοι ὅσους λάβοιεν ἐν τῇ θαλάσσῃ ὡς πολεμίους διέφθειρον, καὶ τοὺς μετὰ Ἀθηναίων ξυμπολεμοῦντας, καὶ τοὺς μηδὲ μεθ' ἑτέρων.* cf. III. 32.

81) *Ἔπλεον μὲν οὐχ ὡς ἐπὶ ναυμαχίαν, ἀλλὰ στρατιωτικώτερον παρεσκευασμένοι.* Maxima ergo navium pars ex onerariis navigiis constitisse videtur, quae militibus gravis armaturae, quibus ad bellum terrestre uterentur, impleta erant.

vero navibus in unam longiorem seriem dispositis, eos undique circumvehi et in angustum contrahere coeperunt, proras hostilium navium semper cursu propemodum radentes et impressionis jamjam faciendae opinionem praebentes. Phormio tamen milites suos exhortatus erat, ne prius in hostes irrumperent, quam ventus procellosus, quem quovis tempore matutino oriri novert, exsisteret. Ubi autem et ventus flare coepit et naves jam in arctum redactae cum ob ventum tum etiam quod hostium navigia simul ipsis incumberent, turbari coeperunt, cum navis in navem inveheretur, alii aliam a sua contis repellerent, miles militem clamore et conviciis objurgaret, neque exhortationibus neque jussis obediret, nec remi in agitato mari attolli possent; tunc dato signo Athenienses subito in eos irrumpunt et una ex praetoriis navibus [82]) immersa, multis corruptis, Peloponnesii cum reliquis Patras et Dymen confugere, quo Athenienses eos secuti duodecim naves ceperunt [83]).

Secunda in pugna Peloponnesii septuaginta septem triremes apud Rhium Achaicum tenebant, Athenienses easdem viginti apud Rhium (distant circiter septem stadia maritima). Per sex septemve dies adversas stationes habuerunt, proelium navale meditantes et praeparantes, quod Peloponnesii in altum provehi non auderent, superiore clade territi, Athenienses proelium in angustiis evitarent, ubi navium agilitate minus poterant uti. Tandem illi, cum hos invitos in angustias producere vellent, ordinibus, quorum singuli quaternas habebant naves, factis, statim primo diluculo portu solvebant, dextro procedente cornu, ubi viginti navigia maxima celeritate praedita constituerant, ut, si forte Phormio, ratus ipsos Naupactum tendere, ipse quoque opem laturus hac iter faceret, Athenienses suas naves non effugere possent. Phormio, oppido praesidiis nudato metuens, festinanter militibus navibus impositis, una serie oram legere coepit. Peloponnesii vero ut eos longa navium serie, cum singulae singulas sequerentur, jam

82) *Τῶν στρατηγίδων νεῶν μίαν.* Scheffer, de milit. navali II. 2. p. 162. „Praetoriam Graeci *ναυαρχίδα*, item *στρατηγίδα* vocavere, nec maximam tantum, sed optimam firmissimamque ad hoc munus elegerunt."

83) Thucyd. II. 83 et 84. cf. Diod. XII. 48.

intra sinum et prope terram navigantes viderunt, signo repente dato, conversionem fecerunt, et junctis frontibus (μετωπηδόν)[84]) in Athenienses irrumpunt sperantes omnes eorum naves a se interceptum iri. Verum illorum undecim priores Peloponnesiorum conversionem vitantes in apertum mare fugerunt, ceteras autem illi ad terram compulerunt et nonnullas, viris aut interfectis aut nando servatis ceperunt inanes, unam cum ipsis viris; alias jam captas Messeniorum pedites, qui terra erant secuti, mare intrantes et navibus conscensis, ex tabulatis pugnantes, recuperarunt. At viginti Peloponnesiorum naves quae dextro cornu collocatae erant, undecim Atheniensium negligenter persequebantur paeana tanquam victores inter remigandum canentes, donec una ex iis Leucadia, cui Lacedaemonius Timocrates praeerat, (qui postea manum sibi ipse intulit) quae ceteras antecedebat, Atheniensium unam post alias relictam persequens ab hac onerariam navem in alto stationem tenentem praetervecta submergeretur. Haec res Peloponnesios valde perterruit, quum alii jam demissis remis navigationis cursum inhibuissent, alii propter loci imperitiam in brevia incidissent. Athenienses his rebus observatis repente signum dedere et impressionem in eos fecerunt, qui paullisper eorum impetum sustinuerunt, deinde terga dantes Panormum, unde solverant, reversi sunt. Athenienses subsecuti sex proximas ceperunt naves atque suas quoque abstulerunt, quas illi tunc primum religaverant[85]).

In pugna tandem apud Corcyram Alcidas ex quinquaginta tribus navibus viginti Corcyraeis opposuit, qui perterriti unamquamque navem necessariis instructam adversus hostem emittebant, Atheniensibus frustra hortantibus, ut se primum exire sinerent, ipsi vero postea cum tota classe simul subsequerentur;

---

84) μετωπηδόν interpretatur Poppo prolegg. I. 2. p. 62. adversis frontibus, al. adversis proris. Sed equidem Goelleri ad Thucyd. II. 90. t. I. p. 328. explicationi assentire malim, ut sit junctis frontibus „Eine geschlossene Fronte bildend" et opposita τῷ ἐπὶ κέρως πλεῖν. cf. Lucian, de hist. conscrib. t. IV. p. 194. ibique Fr. Hermann. Wesseling ad Herodot. VII. 100. μετωπηδὸν, in navium ordinibus, quando obversis in hostem proris procedunt, apud Schol. Thucyd. II. 90., aut aequata serie stant.

85) Thucyd. II. 85—93. et breviter Diod. XII. 48.

cum reliquis triginta Atticis duodecim obviam processit. Athenienses vero, ne navium copia circumvenirentur in confertas eorum triremes, quae in medio agmine contra se instructae erant, non irruebant, sed extremum cornu aggredientes unam navem demergunt. Tum Peloponnesii ceteras naves, quae adversus Corcyraeos stabant, auxilio vocant et in Athenienses invadunt, qui remis inhibitis [86]) quam lentissime retrocedunt, donec nox navale hoc proelium diremit.

Jam ex his satis apparet, Lacedaemonios ceterosque Peloponnesios Atheniensibus in proeliis navalibus multo fuisse inferiores, quare de aliis pugnis nihil praeterea affero. Hanc ob rem Peloponnesii angustias et talia loca ad pugnandum petebant, ubi navale proelium terrestri simile facere, nec hostes artibus suis et peritia uti poterant, quae igitur loca Athenienses evitarunt [87]). — Pugnandi modi quos hi potissimum amabant erant *πέριπλοι* et *διέκπλοι*. „In primis, ait Poppo, prolegg. in Thucyd. I. 2. p. 63., longa serie, una navis post alteram hostium naves circumnavigabant, ut eas paullatim in angustius

86) *πρύμναν κρουόμενοι*. Poppo prolegg. in Thucyd. I. 2. p. 64. „Recessio vel prora hosti opposita (qualis navis *ἀντίπρωρος* dicitur) fiebat (*ἀνάκρουσις, τὸ πρύμναν κρούεσθαι*, inhibere remis) vel cum aversione juncta erat (*ἀναστροφή*, reversio). — Plura habet Scheffer milit. naval. III. 4. p. 204. sq. qui laudat Schol. ad Aristoph. Vesp. 457. *τὸ δὲ πρύμναν κρούσασθαί φασί τινες λέγεσθαι, ὅταν μετακαθίζαντες οἱ ἐρέται, ἐλαύνοιεν ὀπίσω ἐπὶ τὴν πρύμναν, ὅταν λιμένα εἰσέρχονται*. Consuerunt ergo remiges, inquit, mutare sedilia h. e. vertere se, et frontem illuc dirigere, quo ante tergum. Sic enim melius retro vocarunt navim. Schol. ad Thucyd. I. 50. *πρύμναν κρούεσθαι, ἐστὶ τὸ κατ' ὀλίγον ἀναχωρεῖν μὴ στρέψαντα τὸ πλοῖον· ὁ γὰρ οὕτως ἀναχωρῶν ἐπὶ τὴν πρύμναν κωπηλατεῖ· τοῦτο δὲ ποιοῦσιν, ἵνα μὴ δόξωσι φανερῶς φεύγειν οὕτω κατ' ὀλίγον ὑπαπιόντες, ἢ ἵνα μὴ τὰ νῶτα τοῖς πολεμίοις δόντες, ῥᾶον τιτρώσκωνται*. Est igitur *πρύμναν κρούεσθαι* retrocedere navigio sic inclinato et flexo, ut cum opus sit, possint concurrere, cum non sit, flexum penitus convertere in fugam, id quod Latini remis inhibere vocant. Goeller ad Thucyd. VII. 36.

87) Thucyd. II. 89. *ὁρῶ γάρ, ὅτι πρὸς πολλὰς ναῦς ἀνεπιστήμονας ὀλίγαις ναυσὶν ἐμπείροις καὶ ἄμεινον πλεούσαις ἡ στενοχωρία οὐ ξυμφέρει· — — ἀνάγκη ἂν εἴη τὴν ναυμαχίαν πεζομαχίαν καθίστασθαι, καὶ ἐν τούτῳ αἱ πλείους νῆες κρείσσους γίγνονται*. Hujus modi erat pugna inter Corcyraeos et Corinthios Thucyd. I. 49. inter Athenienses et Lacedaemonios apud Pylum Thucyd. IV. 14. Quam ob rem etiam Atheniensium res tantopere fractae sunt, quum in Syracusarum portu in angustiis pugnare deberent.

spatium coarctarent, et in perturbatas, ubi commodum videretur, a latere irruerent." [88]) *διέκπλους* fuit, „quando naves impetum facerent in hostiles, retrocederent deinde, et ictus iterum repeterent." [89])

---

88) Schol. ad Thucyd. VII. 36. et Suid. s. v. *τὸ μὲν περιπλεῖν, ἐν τῇ εὐρυχωρίᾳ καθίστασθαι. οἷον χορευούσης καὶ ἀναστρεφομένης ἐφ' ὅπερ βούλεται τῆς νεώς.* cf. Scheffer mil. nav. III. 6. p. 233.

89) Scheffer, de mil. nav. III. 6. p. 233. Schol. ad Thucyd. I. 49. *διέκπλους ἐστὶ τὸ ἐμβαλεῖν, καὶ παλὶν ὑποστρέψαι καὶ αὖθις ἐμβαλεῖν.* et ad II. 89. *τὸ ἐμβαλεῖν καὶ διασχίζειν τὴν τῶν ἐναντίων τάξιν.* Schweigh. lex. Polyb. p. 158. *διέκπλους*, dum per hostiles naves discurrunt, perrumpunt, transvehuntur, cet.

II.

A. *Historia.*

Cum Atheniensibus bello in ipsa Graecia nondum finito Alcibiades persuaderet, ut bellum illud funestum in Siciliam susciperent [90]), Lacedaemonii, qui induciis et pace cum Atheniensibus factis [91]) labentem auctoritatem in Peloponneso proelio apud Mantineam restituerant [92]), cum occupatione Deceleae, eodem Alcibiade auctore, tum auxilio in Siciliam misso [93]), multo fiebant superiores. Nam dum Athenienses cives suos optimos in Siciliam mittunt, Spartani nonnisi nonnullos servos duce Gylippo transferendos curant, quae expeditio etsi succubuisset, rempublicam ipsam nulla prorsus infirmitate affecisset, quae vero, si succederet, Spartanis maxima praebere commoda debebat. Haec tamen commoda Lacedaemoniorum tarda mens initio perspicere nequibat, cum Syracusanorum et Corinthiorum legatis auxilium implorantibus, Ephori legatos eo missuri essent, nisi Alcibiades oratione in concione habita, totis viribus incubuisset, ut copias auxiliares emitterent [94]).

---

90) Maxime, opinor, quod imperitiam Lacedaemoniorum in rebus navalibus et paucitatem navium despicerent, quapropter terra tantum Atticam adire possent. Thucyd. VI. 17. *τῷ δὲ ναυτικῷ οὐκ ἂν δύναιντο βλάπτειν.*

91) Thucyd. IV. 118. V. 18. sqq.

92) Thucyd. V. 65 — 80.

93) Primum Gylippus cum duabus navibus Laconicis et duabus Corinthiis eo contendit, Thucyd. VI. 104. Diod. XIII. 7. quibus Himerae relictis ipsi terra Syracusas profecti sunt. Thucyd. VII. 1. Diod. XIII. 7 fin. et insequenti vere Spartani ex Helotibus et Neadamodis circiter sexcentos milites gravis armaturae duce Eccrito Spartano navibus onerariis eodem miserunt, quos Boeotorum trecenti et paullo post Corinthii aliique socii secuti sunt. Thucyd. VII. 19 et 68. Diod. XIII. 8.

94) Thucyd. VI. 88. sqq. in specie 91. *στρατιάν τε ἐπὶ νεῶν πέμψετε τοιαύτην ἐκεῖσε, οἵτινες αὐτερέται κομισθέντες καὶ ὁπλιτεύσουσιν εὐθύς, καὶ ὃ τῆς στρατιᾶς ἔτι χρησιμώτερον εἶναι νομίζω, ἄνδρα Σπαρτιάτην ἄρχοντα, ὡς ἂν τούς τε παρόντας ξυντάξῃ καὶ τοὺς μὴ θέλοντας προσαναγκάσῃ.*

Jactura classis pulcherrimae omnium, quas unquam Athenienses e portu emiserant [95]), perpetuae victus et argenti subvectiones [96]) civitatem parvam, licet belli initio optime instructam [97]) valde debilitabant. Plerique igitur sociorum ad defectionem erant parati, quod ab Atheniensibus saepe crudeliter tractati essent, et Euboeenses, Lesbii, Chii et Erythraei statim, re audita, in Spartanorum partes transibant [98]). Ceteri quoque Graeci, qui neutra ex parte stabant, Lacedaemoniis favebant, cum haud injuria suspicarentur, Athenienses bello in Sicilia feliciter gesto etiam se aggressuros fuisse [99]), et sperarent fore ut Athenienses, tantopere undique profligati, mox succumberent [100]).

Lacedaemonii igitur totis viribus bellum redintegrare statuerunt, praecipue cum Sicilienses vere ineunte auxiliares copias et naves missuri essent [101]). Nam belli diuturnitate jam dudum cognoverant, Athenienses tum demum superari posse, cum mari minus valerent, quam ob rem imperium maritimum sibi acquirendum esse censebant. Itaque Agis hieme hanc cladem insequente e Decelea profectus pecunias ad classem exstruendam coegit, et Spartani ipsi centum naves comparari mandarunt, quarum ipsi et Boeoti vicenas quinas, Phocenses et Locrences quindecim, Corinthii quindecim, Arcades, Pellenenses et Sicyonii decem, Megarenses, Troezenii, Epidaurii et Hermionenses decem praeberent [102]).

Sed hic quoque conatus, si Peloponnesiis solum et Lacedaemoniis esset nisus, profecto eos fefellisset. Nam de undequadraginta navibus, quas vere ineunte Corinthi paratas vide-

---

95) Thucyd. VI. 31.
96) Thucyd. VII. 27—29. VIII. 15. Böckh, Staatshltg. I. p. 313. Manso, II. p. 456. sqq. et p. 493. Poppo, prolegg. in Thucyd. I. 2. p. 57. sqq.
97) Thucyd. II. 13.
98) Thucyd. VIII. 5. Euboeenses et Lesbii ad Agidem Deceleam, Chii et Erythraei ac Tissaphernes, qui Joniae et Pharnabazus, qui Hellesponto suppetias peteret, Spartam ipsam se contulerunt.
99) Thucyd. VI. 90. 91. De rebus in Thucyd. l. VIII. memoratis bene disputavit Guil. Krueger ad calcem ed. suae Dionys. Halic. historiograph. Hal. Sax. 1823.
100) Thycyd. VIII. 2.
101) Thucyd. I. 1.
102) Thucyd. VIII. 3.

mus, Athenienses viginti unam, quae in Joniam vecturae erant, in Piraeum [103]), Corinthii agri portum, compellunt ibique obsident [104]); quae res Lacedaemonios statim ab initio tanto metu affecit, ut quinque naves, quas Chalcideo duce emissuri erant, retinuissent, nisi Alcibiades iis persuasisset, ut emitterent eas [105]). Ab Joniae Graecis Alcibiades et Lacedaemonii benevole excepti Chium, Erythras et deinde Clazomenas ad defectionem compellunt [106]), neque Atheniensium duces Strombichides et Thrasycles impedire poterant, quo minus et Teos et Miletus — ubi Chalcideus cum nonnullis navibus remansit — desciscerent [107]).

Sic Alcibiades a sociis, praesertim Chiis, fortiter adjutus Lacedaemoniorum res in Asia sustinebat, cum Peloponnesiorum classis in Piraeo obsessa subita facta eruptione Cenchreas integra effugeret [108]), unde tamen Astyochum navarchum cum quatuor tantum navibus in Chium navigasse videmus [109]), licet, si majore numero advenisset, haud dubie Lesbum servasset, quae quum defecisset sub Atheniensium potestatem interim redire coacta est [110]). Paullo post etiam Chii ab Atheniensibus victi in urbe tenebantur et victores beatam eorum

---

103) De duplice Piraeo cf. interprett. ad Xen. Hellen. IV. 5. 11. Weiske, excurs. ad Ages. II. 18. et Goeller ad Thucyd. VIII. 10. t. II. p. 372. Mueller (Dor. II. p. 431.) praefert *Σπείραιον*, cujus sententiae suffragatur Car. Wagner, in rerum Corinth. specimine (Darmstadt 1824.) p. 14.

104) Thucyd. VIII. 11.

105) E quadraginta navibus, quas primum Chiis mittendas constituerant, decem Melancridae navarcho tradere voluerunt. Deinde, cum terrae motus exstitisset pro Melancrida Chalcideum miserunt et pro decem navibus quinque praepararunt. Thucyd. VIII. 6. et VIII. 11. 12.

106) Thucyd. VIII. 15. Plura de illis Atheniensium sociis praebet Krueger, p. 326. sqq.

107) Thucyd. VIII. 17.

108) Thucyd. VIII. 26.

109) Ib. c. 23. Recte Krueger etiam hanc moram Lacedaemoniorum tarditate adductam esse statuit (p. 299.) „Qui cur non plures cum Astyocho missae essent, referre debuisse videatur, cum etiamsi Peloponnesiorum tarditas nota nobis sit, hic tamen haec ipsa tarditas causam habuerit necesse est, nisi veram, certe praetextam, quam non facile conjectura assequaris. Neque vero fugere eos poterat, quanti momenti tunc temporis summa celeritas esset."

110) Thucyd. VIII. 26.

—

insulam pro libitu depopulari poterant [111]). Athenienses eo tempore circa Samum habebant classem, unde profecti apud Miletum Peloponnesios, Milesios et Tissaphernis copias vicerunt; sed cum urbem obsidere pararent, relatum est adventare quinquaginta quinque naves e Peloponneso [112]), qua de re, Phrynicho adhortante, certamen maximi discriminis evitabant, et Samum revertebantur [113]). Astyochus navarchus, cui Theramenes classem illam adduxerat, cum Lesbiis, qui novam defectionem paraverant, frustra subvenire conatus esset, Miletum contendit [114]) ibique classem accepit, quae tunc navibus nonaginta constitit [115]). Interim Athenienses apud Samum naves centum et quatuor in statione tenebant [116]). „Hoc tempore Peloponnesii omnium rerum copia abundabant. Nam non solum a Tissapherne [117]) stipendium quantum satis erat, solvebatur, verum Amorgis [118]) etiam divitiis sublevabantur, Milesiique alacriter belli onera ferebant. Sed fortasse hanc ipsam ob causam minus ad res gerendas prompti erant, ut identidem frustra ab Atheniensibus provocarentur." [119]) Astyochus qui minarum memor Chiis auxilio non venit, Spartanis suspectus fiebat, quare undecim *συμβούλους* cum septem et viginti navibus emiserunt, qui, si videretur, in illius locum Antisthenem praefectum sufficerent [120]). Dum Astyochus,

---

111) Thucyd. VIII. 24.

112) „Harum navium viginti duae Siculorum erant. Nam Peleponnesii ipsi, tametsi aestas jam ad finem vergebat, tantam classem nondum compararant." Krueger p. 273. Recte. Hermocrates enim XX naves Syracusanas et II Selinuntias adduxit. Thuc. VIII. 26. Diod. XIII. 34 et 63. et de horum differentia, Krueger, l. l. not. 42. quas proxima hieme X Thurinae, et una praeterea Syracusana secutae sunt, Dorieo duce Thucyd. c. 35.

113) Thucyd. VIII. 27.

114) Chiis, qui in Lesbum sequi noluerant, vehementer iratus et minatus, opem se iis non laturum, si qua egerent. Thuc. VIII. 32. 33.

115) Thucyd. VIII. 30. Krueger, p. 315.

116) „Decem enim Astyochus ipse habebat, Thucyd. III. 33. quinque et quinquaginta Theramenes adduxerat ib. 26. ac Peloponnesias quinque, Chiasque viginti (sic enim legendum est!) Chalcideus appulerat ib. 17." Krueger, p. 299. Chias tamen jam abiisse idem p. 300. demonstrat.

117) cf. infra.

118) Quem vivum Jaso urbe expugnata, Tissapherni tradiderant. Thucyd. VIII. 28.

119) Thucyd. VIII. 36 et 38. cf. Krueger, p. 280.

120) Thucyd. VIII. 39.

Antisthene assumto, Rhodios ad defectionem compellit [121]), Alcibiades Lacedaemoniis suspectus capitisque periculum metuens ad Tissaphernem se contulit, ibique quam maxime potuit illorum rebus obfuit [122]).

Chii, dum Lacedaemonii Miletum reversi, ab Atheniensibus Sami stationem tenentibus impediuntur, quo minus illis auxilio veniant, obsidione defatigati, cum Atheniensibus proelium navale aequo Marte committunt [123]), quare, quum Atheniensium praefectus Strombichides paullo post in Hellespontum vela dedisset, ubi Dercyllidas Spartanus jam Abydum et Lampsacum ad defectionem sollicitarat, Lacedaemonii et Chii superiores in mari evaserunt [124]), adeo ut Astyochus, militum tandem conviciis commotus [125]), Chiorum navibus assumtis [126]) Athenienses ad proelium provocaret sed, Strombichide reverso, navium numero diffisus id detrectaret [127]). Peloponnesii vero in dies pecuniae inopia magis oppressi, cum Tissaphernes Alcibiadis artibus ductus, stipendium segniter solveret et falsa spe Phoenissarum navium adventus classis florem corrumperet [128]), Pharnabazo tandem mercedem majorem promittenti morem gesserunt et Clearchum cum viginti sex navibus in Hellespontum misere [129]), quem postea Mindarus, Astyochi successor,

121) Thucyd. VIII. 44.

122) Ib. 45. sqq. cf. infra.

123) XXXVI naves, Leonte Spartano duce contra XXXII Athenienses. Thucyd. VIII. 61.

124) Thucyd. VIII. 61. Lampsacum tamen nullis muris exstructam iterum recuperant Athenienses ib. 62. *Ἐν τούτῳ δὲ οἱ Χῖοί τε θαλασσοκράτορες* (Krueger, p. 301. not. 66.) *μᾶλλον ἐγένοντο καὶ οἱ ἐν τῇ Μιλήτῳ* ib. 63.

125) Thucyd. VIII. 78. *οἱ — στρατιῶται — διεβόων ὡς ὑπὸ Ἀστυόχου καὶ Τισσαφέρνους φθείρεται τὰ πράγματα, τοῦ μὲν οὐκ ἐθέλοντος οὔτε πρότερον ναυμαχεῖν κ. τ. λ.*

126) Num duodecim tantum illas, quas Antisthenes adduxerat c. 61. assumsit, ut Krueger, p. 303. demonstrare conatur, an potius universas? cf. Goeller ad Thucyd. VIII. 63.

127) Thucyd. VIII. 79. Seditione tamen composita.

128) Thucyd. VIII. 46. *Καὶ τὰς Φοινίσσας ναῦς φάσκων ἥξειν καὶ ἐκ περιόντος ἀγωνιεῖσθαι ἔφθειρε τὰ πράγματα, καὶ τὴν ἀκμὴν τοῦ ναυτικοῦ αὐτῶν ἀφείλετο, γενομένην καὶ πάνυ ἰσχυράν.*

129) Clearchus cum XL navibus proficiscitur, quarum cum maxima pars tempestate jactata Miletum reversa esset, et decem tantum Helixo Megarensi duce in Hellespontum pervenissent, Clearchus terrestri itinere eodem contendit, quem tamen mox sedecim naves secutas esse a Thucyd. VIII. 99. docemur.

cum neque naves Phoenissas Aspendo adductum iri cognosset, nec mercedem solvi videret, sequi constituit [130]). Apud Elaeunta parvo proelio commisso [131]), Peloponnesii cum octoginta sex navibus Abydum petierunt, dum Athenienses cum septuaginta sex triremibus Sestum occupant seque ad pugnam apud Cynossema praeparant, ex qua Athenienses majora commoda extulerunt viriumque suarum fiduciam recuperarunt [132]). Hoc proelium oppidanorum quoque animos erexit, qui paullo ante apud Eretriam, Thymochare duce jacturam viginti duarum navium in pugna subitaria cum Agesandrida Spartano [133]) Eretriensium fraude perpessi erant [134]).

Eadem vero aestate (411.) [135]) Peloponnesii, Agesandrida e Graecia [136]) et Dorieo ex Rhodo advocatis [137]), intra Abydum et Sestum ancipite Marte iterum cum Atheniensibus dimicabant, donec Alcibiades, qui cum civibus suis interim in gratiam redierat, cum decem et octo navibus supervenit, illos fugavit et triginta vacuas naves iis abstulit [138]). Atheniensium deinde navigia cum alia alias ad pecunias cogendas extra Hellespontum essent emissa, et quadraginta quoque relicta hostium

---

130) Thucyd. VIII. 99.

131) Thucyd. VIII. 102.

132) Krueger, p. 320. sqq. et 283. Thucyd VIII. 164. sqq. *Τὴν μέντοι νίκην ταύτην τῆς ναυμαχίας ἐπικαιροτάτην δὴ ἔσχον· φοβούμενοι γὰρ τέως τὸ τῶν Πελοποννησίων ναυτικὸν διά τε τὰ κατὰ βραχὺ σφάλματα καὶ διὰ τὴν ἐν τῇ Σικελίᾳ ξυμφοράν, ἀπηλλάγησαν τοῦ σφᾶς τε αὐτοὺς καταμέμφεσθαι καὶ τοὺς πολεμίους ἔτι ἀξίους του ἐς τὰ ναυτικὰ νομίζειν.*

133) Sive Hegesandrida. Goeller ad Thucyd. VIII 91. Habebant Lacedaemonii XLII naves, in quibus et ex Italia et Sicilia quaedam erant.

134) Thucyd. VIII. 64—69. cf. Diod. XIII. 34 et 36.

135) cf. Haacke: diss. chron. de postremis belli Pel. annis secundum Xen. hist. recte dirigendis. Stendal. 1822.

136) Xen. Hellen. I. 1. 1. cum Thymochare, quem paucis navibus Athenienses in Asiam miserant, pugnam edidit. Eum ex Euboea accitum esse docet Thucyd. VIII. 107. Quod Diod. XIII. 41. affert, quinquaginta naves ex Euboea in Asiam navigantes apud montem Atho naufragio periisse, Krueger p. 323. sq. jure repugnat. cf. Manso, II. p. 301. not. l.

137) Dorieum cum tredecim navibus a Mindaro in Rhodum missum esse, quod ibi fuissent, qui res novas molirentur, a Diod. XIII. 38 et 45. docemur. cf. Krueger, p. 305. sqq. De Dorieo praeterea Mueller, Dor. II. p. 148. et Manso, Sp. II. p. 299. sqq.

138) Xen. Hellen. I. 1. 5. sqq.

metu Cardiam vela dedissent, Peloponnesii Cyzicum se contulerunt [139]). Quod cum Alcibiades [140]) cognosset classem suam Sestum redire jussit indeque, Thrasybuli et Theramenis vicenis assumtis navibus, in Proconnesum profectus est cautissima usus prudentia, ne animadverteretur [141]). Hinc magnam per pluviam adortus est hostes, quorum naves sexaginta cum procul a portu interceptas a se reperisset, ad unam omnes cepit [142]). Peloponnesii ad terram se receperunt indeque Athenienses propulsare conabantur sed ubi Alcibiades viginti navibus circumvectus in terram escendit, Mindarus in terrestri proelio occisus est, ceteri aufugerunt. Peloponnesii desperantes pacem petunt, nec tamen impetrant [143]). **(410 a. Chr. Ol. 92. 3. B. P. XXI. fin.)** Verum Pharnabazus Peloponnesios benigne excepit iisque ligna et pecuniam suppeditavit, quibus novam classem Antandri aedificarent [144]); dum Athenienses mare iterum in potestate tenent, omnesque paene urbes Hellesponti sibi subjiciunt [145]), nusquam a Peloponnesiis impediti [146]). Mox

---

139) Xen. Hellen. I. 1. 11. sqq. Diod. XIII. 49.

140) Tissaphernes eum ceperat et Sardibus custodia tenebat, unde tamen elapsus cum V triremibus Clazomenis Cardiam pervenit. Xen. Hellen. I. 1. 9. sqq.

141) *ἐξελόμενος τὰ μεγάλα ἱστία.* Xen. Hellen. I. 1. 13.

142) Praeter Syracusanas, quas milites ipsi combusserant Xen. Hellen. I. 1. 18. cf. praeterea de hac expeditione Diod. XIII. 49. sq. qui magnam describit pugnam terrestrem inter utrosque commissam.

143) Lacedaemonii Endium Athenas miserunt. Diod. XIII. 52. sq. ibique Wesseling. t. V. p. 579. sq. et Krueger, p. 285. not. 82. Eum Cleophon oppugnavit. An hoc potius post pugnam apud Arginusas factum est? Aeschin. fals. leg. c. 21. Schol. ad Aristoph. van. 1580. Schneid. in add. ad Xenoph. p. 105. Manso, II. p. 336. not. o. Justinus addit. V. 4. Quam (pacem) ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quaestum praestabat.

144) Xen. Hellen. I. 1. 24 et 25.

145) *Καὶ τὰς ἐν Ἑλλησπόντῳ πόλεις πλὴν Ἀβύδου πάσας εἷλον* Diod. XIII. 68. Sestum, Lampsacum, Xen. Hellen. I. 2. 14. Chalcedonem, ib. I 3. 3. sqq. Selymbrium, ib. 10. Byzantium, I. 3. 15. sqq.

146) Nisi in expeditione Thrasylli adversus Ephesum, quam Tissaphernes, Syracusani aliique depulerunt. Xen. Hellen. I. 2. 6. sqq. Quum tamen Syracusani impetum iterarent, quatuor amiserunt naves ib. 12. Totum igitur per annum Peloponnesii in novis aedificandis navibus occupati fuisse videntur, quare non valde mirandum, Cratesippidam navarchum classe ab Eteonico apud Chium accepta (Xen. Hellen. I. 1. 32.) nihil memorabile gessisse, quia paucis tantum navibus constitisse potest. Diod. XIII 65. viginti quinque numerat.

tamen foedus cum Pharnabazo ictum bello aliquamdiu finem posuit [147]). — Paullo post Peloponnesii classi virum praefecere dignum, qui contra Alcibiadem, quem Athenienses et mari et terra imperatorem creaverant [148]), ageret — Lysandrum, qui ubi advenit, classem septuaginta navium apud Ephesum collegit [149]) et, quod majoris momenti erat, Cyrum sibi amicum reddidit [150]). Athenienses, qui e Samo profecti, Alcibiade absente [151]) primum singulis navibus, deinde tota classe cum eo proelium ineunt navale, amittunt quindecim naves [152]) quapropter Alcibiades civibus suspectus, ne cum Lacedaemoniis et Pharnabazo sentiat, a praefectura remotus est [153]), sed Lysandro quoque paullo post Callicratidas successit, Spartanus antiqua virtute sed minus versutus, cui et Cyrus et Lysandri fautores [154]) quovis modo obesse conabantur. Sed omnibus expeditis rebus [155]) Methymnam vi expugnat et Cononem, cum urbi subventurus esset et re cognita sese reciperet, persecutus prope Mitylenem proelium navale committere cogit, quo triginta naves cepit, ceteras obsedit [156]). Verum Athenienses

---

147) Xen. Hellen. I. 3. 8. sqq. *Ἀθηναίους δὲ μὴ πολεμεῖν Χαλκηδονίοις, ἕως ἂν οἱ παρὰ βασιλέως πρέσβεις ἔλθωσιν.*

148) Xen. Hellen. I. 4. 20. et Diod. XIII. 69.

149) Xen. Hellen. I. 5. 1. post colloquium cum Cyro nonaginta habet, ib. I. 5. 10. Diod. XIII. 70.

150) Xen. Hellen. I. 5. 3. sqq. Diod. XIII. 70. Plut. vit. Lys. c. 4. Manso, Sp. II. p. 337. suspicatur, Cyrum jam tunc de bello fratri quondam inferendo cogitasse.

151) Apud Xenoph. Hellen. I. 5. 11. Alcibiades ad Thrasybulum Phocaeam proficiscitur. Apud Diod. XIII. 71. Clazomenas petit, quorumdam exulum populationibus afflictas; apud Plut. ej. vit. 35. ad pecunias cogendas in Cariam abiit. cf. Manso, II. 2. p. 482. sqq.

152) Xen. Hellen. I. 5. 12. sqq. Proelium Alcibiadis gubernator, Antiochus natura praeceps, adduxit, cui Alcibiades interdixerat, ne dimicaret. Diod. l. l. Ceterum hoc proelium majoris momenti fuisse, quam ex Xenophontis verbis erui licet, ex Just. V. 5. discimus.

153) Xen. Hellen. I. 5. 16. Estne hoc ob proelium remotus, an potius Diod. XIII. 73. recte judicat, eum ob vexationes in Cumaeos revocatum esse?

154) Xen. Hellen. I. 6. 2. sqq.

155) Nam Milesii, quas ad opitulandum adhortabatur, et Chii eum adjuvabant. Xen. Hellen. I. 6. 8. sqq.

156) Xen. Hellen. I. 6. 13. sqq. et Diod. XIII. 77. sqq. de situ et natura portus, ubi pugna facta et classis obsessa est v. praeter Schneid. ad Hellen. l. l. p. 41. sqq. Plehn, Lesbiaca p. 13. sqq.

in urbe, Cononis dolo [157]) de miserrima classis conditione certiores facti, omnem operam in exstruendis navibus posuerunt, et triremibus undique attractis et militibus cujusque generis impositis, classe centum et quinquaginta navium apud Arginusas pugnam praeparant, quibus Callicratidas, Eteonico cum quinquaginta navigiis ad obsidendum Cononem relicto, classem centum et viginti triremum opposuit. Callicratidas fortiter pugnans obiit in proelio et Athenienses victores exstiterunt [158]). (406 a. Chr. Ol. 93. 3.) Eteonicus tamen callide classem suam in Chium tuto traduxit [159]).

Insequente vere Lysander Graecorum in Asia consensu iterum accitus [160]) classem, quam Ephesum undique conduxerat, pecuniarum copia, qua Cyrus ad patrem abiens eum donavit [161]), magnopere auxit. Deinde in Hellespontum profectus Lampsacum vi cepit, ibique classem tenuit, dum Athenienses Conone aliisque ducibus in opposita ora apud Aegospotamos navium ordines instituunt. Hic cum Athenienses per quatuor dies frustra pugnam exspectassent et Lysandrum contemnentes quoque vespere procul per terram ad commeatus se dissiparent, jactura totius classis tandem bello diutino finem fecit ac Spartanis victoribus imperium et terra et mari reddidit [162]). (a. Chr. 405. Nov. Ol. 93. 4.)

Finito bello Peloponnesiaco Spartani *ὁμολογουμένην ἔσχον τὴν ἡγεμονίαν καὶ τὴν κατὰ γὴν, καὶ τὴν κατὰ θάλατταν* [163])

---

157) Xen. Hellen. I. 6. 19. sqq.
158) Xen. Hellen. I. 6. 28. sqq. Diod. XIII. 97. sqq.
159) Xen. Hellen. I. 6. 37. sqq. Non tamen navarchus fuit sed epistoleus. v. infra.
160) Xen. Hellen. II. 1. 6. sqq.
161) Xen. Hellen. II. 1. 13. sqq. *παρέδειξε δ' αὐτῷ πάντας τοὺς φόρους τοὺς ἐκ τῶν πόλεων, οἳ αὐτῷ ἴδιοι ἦσαν, καὶ τὰ περιττὰ χρήματα ἔδωκε.* Diod. XIII. 104. Plut. Lys. c. 9. ait, Cyrum Lysandro classem Ciliciarum et Phoenissarum navium missurum promisisse.
162) Xen. Hellen. II. 1. 22. sqq. Diod. XIII. 105. sqq. Plut. Lysand. 9 — 11. Conon solus novem navibus ad Evagoram Cypri regem servatus est. Conditiones, quibus Athenienses tandem pacem impetrarunt erant: ut longa moenia et Piraeum diruant, omnes naves praeter duodecim tradant, exules revocent, ex omnibus oppidis praesidia educant, eumdem hostem et amicum habeant et Lacedaemonios et terra et mari sequantur. Xen. Hellen. II. 2. 19. Diod. XIII. 107. Plut. Lys. 14. 15.
163) Diod. XIV. 10 et 13.

et fuerunt *πάσης τῆς Ἑλλάδος προστάται*[164]); cum post nonnullas minoris momenti expeditiones[165]) anno 400 a. Chr. Jonum precibus indulgentes Thimbronem in Asiam mitterent, qui Graecas ibi civitates a Persarum imperio liberaret[166]). Eo revocato Dercyllidas in imperio successit, qui Aeolide occupata cum Persis inducias fecit[167]), quibus quum hi ad classem exstruendam aliosque faciendos apparatus uterentur[168]), rex Agesilaus ipse in Asiam trajecit[169]) (Ol. 96. 1. a. Chr. 396.), classis vero imperium, quo etiam fungebatur[170]), cognato suo Pisandro tradidit, qui, rege in Graeciam revocato, in navali apud Cnidum proelio contra Persas Conone duce, et vitam et classem perdidit[171]). (394 a. Chr. Ol. 96. 3.) Per omne scilicet tempus, quo res terra gerebantur classis quoque Lacedaemoniorum circa Rhodum et Caunum contra Cononem Persasque agebat, ut, quamdiu diligens sedulusque Pharax classis tenebat imperium, maris essent potentes. Sed et Rhodiorum defectio[172])

---

164) Xen. Hellen. III. 1, 3 et 5. cf. IV. 1. 8. *ἡμῶν δὲ ἡγουμένων τῆς Ἑλλάδος.* Haec verba tamen imprimis ad civitates Asiae minoris referenda esse, docet Wachsmuth, Hellen. Althskde I. 2. p. 232.

165) Obsidio Piraei per Lysandri fratrem Libyn Xen. Hellen. II. 4. 28. Diod. XIV. 13. et XIV. 33. — Expeditio adversus Byzantii harmostam Clearchum Diod. XIV. 12. Schneid. ad Xen Hellen. I. 2. 36. Manso, Sp. III. p. 21. sqq. classis, quam Cyro auxilio in Ciliciam miserunt duce Samio et deinde Pythagora, de quibus infra.

166) De harum rationibus cum Persis omnia collegit Fr. Hermann, antiquitt. Gr. §. 39. not. 10. sqq. Cum mille Neodamodis et aliorum Peloponnesiorum quatuor millibus, quibus etiam trecenti Atheniensium equites adjuncti erant. Xen. Hellen. III. 1. 4. deinde multos a Cyri expèditione redeuntes advocavit. Diod. XIV. 37. Xen. Anab. VII. 5. 1 et 8. 24.

167) Xen. Hellen. III. 2. 1. sqq.

168) Xen. Hellen. III. 4. 1. Diod. XIV. 39. Justin. VI. 1.

169) Cum triginta Spartanis, et duobus millibus Neodamodum, quos circa sex millia sociorum secuta sunt. Xen. Hellen. III. 4. 3. sq. Ages. I. 6. 7. Plut. Ages. 6. Diod. XIV. 79.

170) Xen. Hellen. III. 4. 27. sqq. *Τοῦτο δὲ ἐποίησαν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοιῷδε λογισμῷ, ὡς, εἰ ὁ αὐτὸς ἀμφοτέρων ἄρχει, τό τε πεζὸν πολὺ ἂν ἰσχυρότερον εἶναι, καθ' ἓν οὔσης τῆς ἰσχύος ἀμφοτέροις, τό τε ναυτικὸν, ἐπιφαινομένου τοῦ πεζοῦ, ἔνθα δέοι.*

171) Xen. Hellen. IV. 3. 10. Diod. XIV. 83. qui quinquaginta naves et mille milites captas esse memorat et pro Pisandro Periarchum appellat. cf. Wess. ad l. Polyaen. I 48. 5. Justin. VI. 3.

172) Diod. XIV. 79. qui Lacedaemonios ingenti frumenti copia a Nephereo Aegyptiorum rege missa, privarunt. Justin. VI. 2. et Wessel. ad Diod. l. l.

et Cononis ad Regem iter, unde pecuniis et muneribus largiter donatus rediit [173]) et imprimis Pharacis discessus, cum Pisander classi praeficeretur, ejus jacturam adduxit. Haec pugna Spartanorum consiliis magnopere obfuit. Urbes praeter Abydum et Sestum [174]) paene omnes [175]), a Lacedaemoniorum harmostis quovis modo vexatae, Pharnabazo et Cononi se applicuerunt, qui Laconicam ipsam insequenti vere hostiliter aggrediuntur atque hostes eorum pecuniis sustentant [176]). At versutus Antalcidas Persas [177]) iterum Spartanis reddidit amicos [178]) et licet pax tunc per Athenienses, Boeotos et Argivos discuteretur, tamen fiduciam praebuit barbaris et Conone in vincula conjecto pecuniis ad novam exstruendam classem adjutus domum rediit [179]).

Hoc tempore Rhodiorum optimates precibus Spartanos adierunt, ne plebem Atheniensium rerum amantem, tanti momenti insu-

---

173) Ad mare est missus ut Cypriis et Phoenicibus ceterisque maritimis civitatibus naves longas imperaret, classemque, qua proxima aestate mare tueri posset, compararet: dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. Nep. Conon. c. 4. cf. Manso, III. 2. 37. not. o. De eventu hujus ab oratoribus tantopere celebratae victoriae cf. praeceteris Wolf ad Dem. Lept. §. 55. p. 286. sqq. Nam *Λακεδαιμόνιοι μὲν ἀπὸ τούτου τοῦ χρόνου τὴν κατὰ θάλατταν ἀρχὴν ἀπέβαλον*, ait Diod. XIV. 84. et Isocrat. Paneg. 41. *τὴν Λακεδαιμονίων ἀρχὴν κατέλυσαν.*

174) Xen. Hellen. IV. 8. 3. sqq. Has enim urbes Dercyllidas in fide conservabat. *Ἔστι δὲ οὐχ οὕτως ἔχον. Εἰ τῇ ναυμαχίᾳ ἐκρατήθημεν, οὐδὲν ἄρα ἔτι ἐσμέν* x. τ. λ. et 5: *τοὺς μὲν ἰόντας ἁρμοστὰς φίλως ἐδέχοντο, τοὺς δὲ ἀπόντας μετεπέμποντο.*

175) Diod. XIV. 84. Cos, Teos, Chios, Mitylene, Ephesus, Erythrae et al.

176) Xen. Hellen. IV. 8. 7. sqq. Diod. XIV. 84 85. — Corinthios et Athenienses.

177) Praesertim Tiribazum. Xen. Hellen. IV. 8. 14. Tissaphernis successorem, Manso, III. 2. p. 40. Memineral proverbii: devide ac impera, *τῶν τε γὰρ ἐν τῇ Ἀσίᾳ Ἑλληνίδων πόλεων Λακεδαιμονίους βασιλεῖ οὐκ ἀντιποιεῖσθαι τάς τε νήσους ἁπάσας καὶ τὰς ἄλλας πόλεις ἀρκεῖν σφισιν αὐτονόμους εἶναι.*

178) Quam amicitiam obiter tantum Struthas, quum Tiribazus ad Regem profectus esset, turbavit, qui *ἰσχυρῶς τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τοῖς συμμάχοις τὴν γνώμην προσεῖχε* x. τ. λ. et Thimbronem contra eum missum in Maeandri campo devicit occiditque. Xen. Hellen. IV. 8. 17. sqq. Diod. XIV. 99.

179) Xen. Hellen. IV. 8. 15. 16. *Ὁ Τιρίβαζος — — — λάθρα γε μέντοι ἔδωκε χρήματα Ἀνταλκίδᾳ, ὅπως ἄν, πληρωθέντος ναυτικοῦ ὑπὸ Λακεδαιμονίων οἵ τε Ἀθηναῖοι καὶ οἱ ξύμμαχοι αὐτῶν τῆς εἰρήνης προσδέοιντο.*

jam tenere sinerent [180]), quapropter hi Ecdicum octo navibus et deinde, cum hic nihil perficeret, Teleutiam, fortem Agesilai fratrem [181]), eo mittunt, simulque per Diphridam Struthae conatus reprimunt atque Athenienses vires distrahere cogunt, Aeginetas adjuvantes [182]) et Anaxibium in Hellespontum mittentes [183]). Tum Teleutiae fortuna et alacritas apud Rhodum [184]) et Aeginam [185]), tum Antalcidae iter ad Regem [186]) Spartanorum res valde promovit, ita ut, cum hic redux undique adjutus [187]) classem, quae numerum octoginta navium superabat, apud Abydum collegisset, omnes Graeciae civitates pacem acciperent, cujus conditiones Rex per litteras constituerat [188]). Sic Spartani iterum victores fuerunt, *προστάται γαρ γενόμενοι τῆς ὑπὸ βασιλέως καταπεμφθείσης εἰρήνης* [189]).

Haec tamen Spartanorum potentia [190]) vix decem per annos incolumis permanebat. Bella cum Thebanis terrestres vires in

---

180) „Diod. XIV. 79. Sub Ol. 96. 1. cum Agesilaus in Asia esset, Rhodios se Cononi adjunxisse narrat, ejecto Lacedaemoniorum praesidio, et ut videtur, ejectis simul civibus Lacedaemoniorum studiosis. Deinde c. 97. sub Ol. 97. 2. Lacedaemoniorum studiosos Rhodios narrat ejecisse eos, qui cum Atheniensibus facerent, eosque facto praelio vicisse: postea Lacedaemona misisse legatos, qui auxilium a Lacedaemoniis peterent" cet. Schneid. ad Xen. Hellen. IV. 8. 20. p. 244. Pro Ecdicum habet Diod. XIV. 97. Eudocimum, cf. Wessel.

181) Xen Hellen. IV. 4. 19. et V. 2. 37.

182) Xen. Hellen. V. 1. 1. *ξυνδόξαν καὶ τοῖς ἐφόροις, ἐφίησι λῄζεσθαι τὸν βουλόμενον ἐκ τῆς Ἀττικῆς.* — Primus ibi fuit Eteonicus, deinde Gorgopas (ib. §. 5.) quo occiso (ib. §. 12.) Teleutias eo venit.

183) Xen. Hellen. IV. 8. 31. sqq. Anaxibius tamen noctu ab Iphicrate petitus ipse cum multis militibus obiit. Abydus deinde ab Atheniensibus obsessa fuisse videtur. cf. Xen. Hellen. V. 1. 6. et Schneid. ad IV. 8. 38.

184) Philocratis Atheniensis classe X navium, quas Evagorae cum Persarum rege bellanti adducturus eset, potitus est. Thrasybulus, qui contra eum classe XL navium profectus erat, paullo post ab Aspendiis interficitur in nocturno proelio. Xen. Hellen. IV. 8. 30. Diod, XIV. 99.

185) Audax ejus et fausta expeditio contra Piraeum negligenter custoditum. Xeu. Hellen. V. 4. 13. sqq.

186) Xen. Hellen. V. 1. 6 et 25.

187) Xen. Hellen. V. 1. 28. *Ἐπεὶ δὲ ἦλθον αὐτῷ αἵ τε ἐκ Συρακουσῶν νῆες εἴκοσιν, ἦλθον δὲ καὶ αἱ ἀπὸ Ἰωνίας, ὅσης ἐγκρατὴς ἦν Τιρίβαζος, ξυνεπληρώθησαν δὲ καὶ ἐκ τῆς Ἀριοβαρζάνους κ. τ. λ.*

188) Xen. Hellen. V. 1. 30. Plura praebet Fr. Hermann, l. l. §. 41.

189) Xen. Hellen. V. 1. 36.

190) Xen. Hellen. V. 5. 27. Diod. XV. 23. Demosth. de fals. leg. p. 425. 21. *Ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ᾽ ὅτι γῆς καὶ θαλάττης ἦρχον ὡς ἔπος*

dies attriverunt, et cum Lacedaemonii eorumque socii, ut Athenas Thebanis conjunctas, quae eo tempore novam formaverant societatem [191]) bello mari aggrederentur, classem sexaginta navium Pollide duce emitterent, hic a Chabria apud Naxum magno proelio superatus est [192]). (a. Ch. 376. Ol. 101. 1.) Hinc Spartani imperium maritimum amiserunt, quod neque posteriores conatus [193]), neque Dionysii naves auxiliares [194]) restituere poterant; quam ob rem deinde in conventu Spartae habito (372 a. Ch.) illi Atheniensibus id prorsus reliquerunt, et sibi terrestrium tantum copiarum imperium vindicarunt [195]).

B. *Ars in committendis pugnis navalibus.*

Initio hujus periodi Peloponnesios iisdem rebus laborare videmus, quae antea fuerunt impedimento; eorum tarditas et superstitio [196]) primae classis obsidionem attulit, quare iis adhortatore opus erat vehementissimo, qui omnibus viribus in eo institit, ut rei operam darent, quae sola ad victoriam eos ducere posset. Per totum tempus Astyochi praefecturae ne unam quidem pugnam navalem committere audent quamvis multae oblatae sint opportunitates, ita ut milites ipsi cunctationem tandem aegre ferrent [197]). Mindarus demum, audacior quam qui

---

εἰπεῖν, Λακεδαιμόνιοι κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους. — Ex fausta expeditione contra Olynthios valde erat aucta. Wachsmuth, l. l. p. 241. sq.

191) Fr. Hermann, l. l. §. 170. 8. 9. Byzantium, Chius, Rhodus, Mitylene et al.

192) Diod. XV. 34. 35. Xen. Hellen. V. 4. 60. 61. Fr. Hermann, l. c.

193) Nicolochi expeditio et infelix pugna contra Timotheum Xen. Hellen. V. 4. 62. sqq. Diod. XV. 36. Corn. Nep. Timoth. c. 2. Classis LX navium, quam Lacedaemonii eorumque socii Mnasippo duce adversus Corcyraeos miserunt, ubi ducis negligentia stultaque crudelitate et ipse et militum magna vis obiit. Xen. Hellen. VI. 2. 3. sqq. Diod. XV. 47.

194) Xen. Hellen. VI. 3. 33. sqq. et Diod. XV. 47., quibus Iphicrates potitus est. ib. VII. 1. 20. et 4. 12. cf. Manso, III. p. 184. not.

195) In pace, quae vocatur Calliae, si Diod. XV. 38 fidem debemus tribuere: *Λακεδαιμόνιοι γὰρ καὶ Ἀθηναῖοι διὰ παντὸς περὶ ἡγεμονίας διαφιλοτιμούμενοι, παρεχώρουν ἀλλήλοις οἱ μὲν κατὰ γῆν, οἱ δὲ τῆς κατὰ θάλατταν ἀρχῆς ἄξιοι κρινόμενοι.* cf. tamen Manso, III. 2. p. 54. sqq. Athenienses hoc tempore maris imperium revera habuisse a Xen. Hellen. VI. 3. 14. docemur: *κατὰ θάλατταν γε μὴν τίς ἂν ὑμᾶς βλάψαι τε ἡμῶν ὑμῖν ἐπιτηδείων ὄντων;* ait Autocles Atheniensis.

196) Prius Isthmia celebrabant, ubi Athenienses de expeditione certiores fiebant. Thucyd. VIII. 8. 9.

197) Thucyd. VIII. 78.

antecesserat, proelium oblatum non detrectavit. Athenienses juxta Chersonesum aciem septuaginta sex [198]) navium ab Idaco usque ad Arrhiana exporrexerunt, ita ut Thrasyllus sinistrum, Thrasybulus dextrum cornu duceret. Peloponnesii contra cum octo et octoginta navibus ab Abydo usque ad Dardanum littora tenuerunt; dextro cornu Thrasyllo oppositi erant Syracusani, sinistro Mindarus ipse cum velocissimis navium. Cum vero Peloponnesii sinistrum cornu exporrigere studerent ut Atheniensibus facultatem ex Hellesponto in mare Aegeum prodeundi intercluderent, hi, cognita re, navigandi celeritate illos praeveniebant. At cum Atheniensium cornu sinistrum promontorium, quod Cynossema [199]) appellatur, jam superasset, hoc modo media eorum acies ex infirmis ac dissipatis navibus constaret necesse erat; praesertim cum Athenienses minorem navium numerum haberent, et ora, quae circa Cynossema erat, in acutum angulum exiret, ita ut ea, quae in ulteriore illius parte fiebant, ab ipsis conspici non possent. Peloponnesii ergo, irruptione in medium facta, Atheniensium naves ad littus propulerunt, et quum his neque dextrum cornu propter navium in ipsum ingruentium multitudinem, neque sinistrum, quod rem cernere non poterat et a Syracusanis ceterisque dextri

---

198) Alii codd. Atheniensibus tribuunt *ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα* et Peloponnesiis *ὀκτὼ καὶ ἑξήκοντα*. Sed hos numeros falsos esse, jam Hudson ad Thucyd. VIII. 104. (t. II. p. 460. ed. Gottl.) demonstravit. Plura disputat Krueger ad Dion. p. 319 sqq.

199) cf. Wesseling ad Diod. VIII. 40. Poppo prolegg. in Thucyd. I. 2. p. 331. „Ait Thucyd. primo sinistrum Atheniensium cornu ultra (i. e. boream versus) promontorium habere acutum et angulosum ambitum, ita ut, quae in ulteriore ejus parte (h. e. a Madyto meridiem versus) fiebant, conspici non potuerint (Idacus enim vel ipsa Madytus vel certe in vicinia Madyti sita fuit); sive ut ipse c. 105. explicat, e navibus cornu sinistri (circa Idacum sive Madytum) ea, quae navibus aciei mediae accidebant, non potuisse cerni, propter illud promontorium, quod Cynossema appellatur. Patet ex his sole clarius, promontorium Cynossema pari vere intervallo a Madyto et Arrhianis, paullo tamen propius a Madyto abfuisse. Et est etiam ora haec Hellesponti omnino talis, qualis a Thucydide dicta est, concava boream versus h. e. a Cynossema ad Arrhiana ideoque Latino S majusculo admodum similis." Nescio quid Kruegerum moverit, observat Goeller ad Thucyd. l. l., ut p. 283. not. scriberet, non vera esse posse verba Thucydidis: *τὸ δ' εὐώνυμον αὐτοῖς ὑπερβεβλήκει ἤδη τὴν ἄκραν* cum Thrasybulus dextro cornu praefuerit. Quid enim in his repugnantiae est?

hostilis cornu prohibebatur, succurreret, ibi Peloponnesii longe erant superiores. Qui quum vero victoria freti alii aliam navem insequerentur, ipsorum ordines solvere coeperunt, quapropter Thrasybulus, re animadversa, confestim omissa contentione circumagendi cornu, conversus naves sibi oppositas repellit ac in fugam vertit. Quum fere eodem tempore etiam Syracusani Thrasyllo cederent, mox omnes fugam petierunt. Una et viginti hostium naves captae sunt, sed Athenienses quoque quindecim amiserunt [200]).

Bellum tamen diutinum, quod postremis annis mari potissimum gerebatur et peritos duces et alacres nautas etiam Lacedaemoniis efficere debebat. Lysander et Callicratidas cuicunque Atheniensium duci aequiparari possunt, sub quorum igitur imperio classem Peloponnesiorum tam agilem et velocem videmus ut et Athenienses ipsos celeritate superaret [201]). Pugnarum tamen navalium plurimae aut sine arte commissae sunt [202]), aut descriptione apud veteres carent [203]), quare illa tantum apud Arginusas insulas paucis verbis digna videtur.

Peloponnesiorum naves, numero centum et viginti omnes una serie (*ἐπὶ μιᾶς*) erant collocatae, *ὡς πρὸς διέκπλουν καὶ περίπλουν παρεσκευασμέναι διὰ τὸ βέλτιον πλεῖν*. Dextrum cornu duxit Callicratidas ipse. Atheniensium quoque naves [204]) in una serie erant constitutae, sed ita „ut insulas Arginusas acie sua complecterentur, quo facto eam longissimo spatio extenderunt. Quod cum Lacedaemonii navibus suis aequare nimis longum non possent, divisis navibus aciem instruere coacti sunt, ita ut Atheniensibus ipsis quidem liceret per aciem hostium e regione insularum interruptam pervehi (*διεκπλεῖν*) et a latere circumvectis terga adoriri hostium (*περιπλεῖν*), contra hostes per lineam continuam Athenien-

---

200) Thucyd. VIII. 104. sqq.

201) Xen. Hellen. I. 6. 31. *Χεῖρον γὰρ ἔπλεον* (Atheniensium scil. naves) et *διὰ τὸ βέλτιον πλεῖν* (Lacedaemonii) Diod. XIII. 99. *ἔμπειροι γὰρ ὄντες τῶν κινδύνων οἱ πλεῖστοι διὰ τὸ μῆκος τοῦ πολέμου.*

202) Ut apud Cyzicum et Aegospotamos.

203) Ut apud Abydum et Cnidum.

204) Quae *πλείους ἢ πεντήκοντα καὶ ἑκατόν* erant. Xen. Hellen. I. 6. 25.

sium navium nullibi pervadere et a tergo adoriri poterant; mediam enim earum partem inclusae insulae firmabant." [205])

Atheniensium aciem Xenoph. optime describit, Peloponnesiorum contra ordines penitus omittit; fuit ferme haec:

Athenienses.	*Lacedaemonii.*
I. Sinistrum cornu.	**I. Dextrum cornu.**
α) Aristocrates........cum 15 navb.	Callicratidas ipse. Gubernator Hermon Megarensis.
ἐπιτέτακτο αὐτῷ a) Pericles » 15 »	
β) Diomedon......... » 15 »	
ἐπιτέτακτο αὐτῷ b) Erasinides » 15 »	
II. Medium.	**II. Medium.**
α) Samii (dux Hippeus) » 10 »	Num interrupta fuit haec acies an socii Asiae minoris eam tenuerunt?
β) Ceteri socii........ » 30 »	
III. Dextrum cornu.	**III. Sinistrum cornu.**
α) Protomachus ...... » 15 »	Boeoti, duce Thrasonda Thebano. (Diod. XIII. 98.) [206])
ἐπιτέτακτο αὐτῷ a) Lysias .. » 15 »	
β) Thrasybulus .... » 15 »	
ἐπιτέτακτο αὐτῷ b) Aristogenes » 15 »	

Breviter denique ultimam pugnam navalem apud Naxum tangam, in qua Diodorum solum [207]) auctorem habeo, quod Xenophon exitum dumtaxat proelii memorat [208]).

---

205) Sic Schneid. ad Xen. Hellen. I. 6. 31. Diodoro (XIII. 98.) majorem tribuit fidem quam Xenophonti in acie instruenda. Non negandum est, Diodori ordinem habere quo se commendet, cum loci naturae magis esse idonea videatur. Si Diodoro suffragari malis, cuique cornu Atheniensium pars sociorum tibi fortasse erit tribuenda, cum ordines Xenophontem solum secutus descripserim. De ceteris quibus Xenophon et Diodor. discrepant cf. praeter Schneid. l. l. Wesseling. ad Diod l. l.

206) Hic locus, ubi Diod. sinistrum cornu Thebano Thrasondae tribuit, cujus nomen nusquam alias legere memini, haesitationem mihi praebuit, atque ut multa alia hujus scriptoris silentio praeteriissem, nisi Thucyd. init. lib. VIII. c. 3. memoraret, Thebanos XXV naves ad Peloponnesiorum communem classem addere promisisse, quarum tamen nusquam aperte facit mentionem; nisi igitur opineris, eas nunquam emissas esse, et Diod. hic errasse, non fieri potest quin accipias, eas duce Theramene (Thucyd. VIII. 26.) inter ceteras naves Peloponnesiorum in Asiam transvectas et semper, cum nulla in re prae ceteris eminerent in Peloponnesiorum classe comprehensas esse.

207) Diod. XV. 34. sqq.

208) Xen. Hellen. V. 4. 61.

Chabrias classe octoginta trium navium in obsidione Naxi occupatus erat quum Pollis sexaginta quinque triremibus ad Naxiis opem ferendam adveniret. Proelio statim inito Pollis, qui dextrum duxit cornu in oppositum Atheniensium sinistrum cornu, cujus dux Cedon fuit Atheniensis, impetum fecit atque strenue dimicans et Cedonem ipsum trucidavit et navem ejus depressit. Sic cum aliis quoque congressus rostris alias naves rupit, alias in fugam compellit, donec Chabrias laboranti suae classi subvenit, multas hostium naves corrupit multasqne cepit [209]. Navibus hostium in fuga dissipatis ab insequendo tamen abstinuit, ne sibi idem contingeret ac ducibus apud Arginusas [210]; alioquin totam hostium classem pessum dedisset. Atheniensium naves octo et decem, Lacedaemoniorum viginti quatuor periere et octo cum ipsis viris captae sunt [211]. Quocum etiam Polyaeni narratio est conferenda [212]: Chabriam ante proelium trierarchis praecepisse ut navium signa tollerent, quo facto Spartanos dubios et ancipites praeternavigasse, ita ut Athenienses utrinque impetum facientes victoriam hoc modo reportarent.

---

209) Chabrias ergo, cum navium numero Pollin superaret, parte navium in obsidendis Naxiis perrexisse videtur, donec Cedonem inferiorem esse videret; quod non optime cum Polyaeni narratione congruit.

210) Xen. Hellen. I. 7. Diod. XIII. 101. sqq.

211) Secundum Demosth. Leptin §. 63. p. 480. Chabrias quadraginta unam triremes cepit et tres millia hominum. Quam amplificationem et Wolf. in annott. et Manso, Sparta III. p. 135. refutant. Xen. Hellen. l. c. Pollin sexaginta tantum naves habuisse memorat.

212) Polyaen. strateg. III. 11. 11.

III.

De classis praefectis apud Lacedaemonios.

A. *Navarchi et Ξύμβουλοι.*

Licet tempore, quo Lacedaemoniorum res navales imprimis florebant, classis maximam partem sociorum navibus constitisse noverimus, praefectus tamen semper fuit Spartanus [213]), atque ab ejus virtute vel vitio et bona et misera classis conditio dependebat. Cum Lycurgi instituta maritimarum rerum studio repugnarent, neque ille usquam navium praefectorum rationem haberet, fieri non poterat, quin imperium classis tanti postea momenti, ambitioni factionibusque in republica locum praeberet, et universa ejus instituta valde corrumperet [214]). Commorationem ducum in exteris regionibus, ubi peregrinos mores, molliusque vitae genus cognorunt, horum simplicitatem mox corrupisse, jam Pausaniae exemplum testatur tempore, quo Lycurgi institutiones etiam valebant [215]), et admiratio, qua Callicratidas apud omnes fruebatur [216]). Hanc ob rem, cum reges, nativi terrestrium expeditionum duces, raro

213) Praeter Deiniadem Perioecum, cujus jam mentionem feci, qui tamen non navarchus fuit, sed paucis tantum sociorum navibus praepositus.

214) Haec tempora Aristoteles spectavit: Polit. II. 6. 22. *Τῷ δὲ περὶ τοὺς ναυάρχους νόμῳ καὶ ἕτεροί τινες ἐπιτετιμήκασιν, ὀρθῶς ἐπιτιμῶντες· στάσεως γὰρ γίνεται αἴτιος· ἐπὶ γὰρ τοῖς βασιλεῦσιν, οὖσι στρατηγοῖς, αΐδιος (?) ἡ ναυαρχία σχεδὸν ἑτέρα βασιλεία καθέστηκε·* cum not. Goettlg. p. 335.

215) Thucyd. I. 95. *καὶ ἄλλους οὐκέτι ὕστερον ἐξέπεμψαν οἱ Λακεδαιμόνιοι, φοβούμενοι μὴ σφισιν οἱ ἐξιόντες χείρους γίγνωνται· ὅπερ καὶ ἐν τῷ Παυσανίᾳ ἐνεῖδον.*

216) Diod. XIII. 76. *οὗτος δὲ νέος μὲν ἦν παντελῶς, ἄκακος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἁπλοῦς, οὔπω τῶν ξενικῶν ἠθῶν πεπειραμένος, δικαιότατος δὲ Σπαρτιατῶν.* Plut. Lys. c. 5: *πάντων ἄριστος καὶ δικαιότατος ἀλλὰ τούτου μὲν τὴν ἀρέτην ὥσπερ ἀγάλματος ἡρωϊκοῦ κάλλος ἐθαύμαζον.*

etiam classi praeessent [217]), Spartani navarchos quocunque modo coercere meditabantur, modo viris duci adjectis, qui eum observarent, eique consilia darent (*ξύμβουλοι*) [218]), modo lege, ne idem bis navarchus fieret, neve diutius quam unum annum hoc imperium teneret [219]).

Tres *ξύμβουλοι* Cnemo primum adjunguntur, Timocrates, Brasidas et Lycophron [220]), qui deinde apud classem videntur remansisse usque ad ejus jacturam apud Pylum [221]). Inter eos primum locum obtinebat Brasidas. Hos viros initio nihil aliud fuisse, quam quod nomen indicat, consiliarios, a Thucydide docemur [222]). Postea vero Astyocho undecim *ξυμβούλους* Lacedaemonii miserunt quibus licebat, navarchum ipsum, si utile judicarent, a praefectura amovere [223]). Inter hos Lichas principem videtur tenuisse locum [224]).

Legis allatae in secunda Lysandri expeditione in Asiam mentio fit, ubi forma saltem ejus etiam observata est [225]).

---

217) Ut Leotychides, Pausanias, Agesilaus.

218) Spartani, jure praefectorum imperitiae diffisi id quoque ea re spectasse videntur, ut hi *ξύμβουλοι* praefectum ab ineptis incautisve conatibus detinerent, quam ob rem etiam Agidi regi decem *συμβούλους* adjungunt, ubi, cum posset, cum Argivis non proelium iniit. Thucyd. V, 63. Diod. XII. 78. et plura apud Krueger, l. l. p. 280. not. 57.

219) Primo cum Xen. Hellen. II. 1. 7. *οὐ γὰρ νόμος αὐτοῖς δὶς τὸν αὐτὸν ναυαρχεῖν*, tum Diod. XIII. 100. *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι νόμον ἔχοντες δὶς τὸν αὐτὸν μὴ πέμπειν* (Venet. *ἐπὶ ναυαρχίᾳ*, quod subintelligi debet. Wesselg. ad l.) tum Plut. Lysand. c. 7. diserte confirmant. Deinde ex Xenoph. locis I. 5. 1. *Κρατησιππίδᾳ τῆς ναυαρχίας παρεληλυθυίας.* I. 6. 1. *τῷ Λυσάνδρῳ παρεληλυθότος ἤδη τοῦ χρόνου*, apparet. cf. Manso, II. p. 382. not. 2.

220) Post proelium navale Corinthiorum cum Phormione in sinu Crissaeo, de quo jam egimus.

221) Brasidae certe in omnibus expeditionibus maritimis mentio fit; adversus Pyraeum Thucyd. II. 93. sqq. Diod. XII. 49. adversus Corcyram, Thucyd. III. 79. apud Pylum inter trierarchos excellit. Thucyd. IV. 11. Sed etiam Brasidas navalium rerum imperitus fuisse videtur; nam consilium quod Alcidae dedisse traditur, ne certum quidem est (*ὡς λέγεται*, Thucyd. III. 79.) et apud Pylum manu tantum fortis erat et audax.

222) Thucyd. III. 79. *καὶ Βρασίδου παραινοῦντος Ἀλκίδᾳ, ἰσοψήφου δὲ οὐκ ὄντος.*

223) Thucyd. VIII. 39.

224) cf. de eo Krueger ad Dion. p. 287. not. et quem idem laudat, Mitford, hist. gr. III. p. 463. (trad. Eichstaedt.)

225) *Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἔδοσαν τὸν Λύσανδρον ὡς ἐπιστολέα, ναύαρχον δὲ Ἄρακον — — τὰς μέντοι ναῦς παρέδοσαν Λυσάνδρῳ.* —

Tempus, quo ea lata sit, non ante cladem Siciliensem ponendum videtur; fortasse cum Spartani *ξυμβούλους* illos emittere desinerent [226]), eorum loco tanquam aliud contra ambitionem et nequitiem tutamentum hanc legem promulgarunt [227]), quam postea tamen etiam neglectam esse videmus. Nam non solum Pharacem et Teleutiam [228]) plus uno anno navarchorum munere ornatos cognoscimus, sed uno eodemque anno duos navarchos duosque legatos statuamus necesse videtur, quod eodem tempore, quo Hierax apud Rhodum classem tenet, Antalcidas navarchi nomine ad Regem pergit et Gorgopam in Aeginam et Nicolochum Abydum mittit [229]). Ceterum navarchi non perpetui magistratus fuisse possunt, sive classis necessaria erat, sive non; sed cum classe etiam praefectum creatum esse mihi persuasum est, et lex illa, quae annuum magistratum spectare videtur, eo demum tempore lata est, quo Spartani continuo in mari versabantur. — Navarchus plerumque verno tempore emissus est, quum, si auctumno, quo creatus esse videtur [230]) exiisset, propter hiemen imminentem nihil agere potuisset. Accidit tamen interdum ut praefectus statim postquam fuit electus, etiam proficisceretur [231]).

---

et Diod. XIII. 100. *καὶ τὸ πάτριον ἔθος μὴ θέλοντες καταλύειν, Ἄρακον μὲν εἵλοντο ναύαρχον, τὸν δὲ Λύσανδρον ἰδιώτην αὐτῷ ξυνέπεμψαν, προςταξάντες ἀκούειν ἅπαντα τούτου.*

226) Nam post hos undecim Astyocho missos nusquam memorari alios recordor. Anno igitur vicesimo belli Pelop. 412 a. Ch. Ol. 91. 4.

227) Mitford quidem hist. gr. IV. p. 425. suspicatur, hanc legem per Pausaniae proditionem esse adductam, quam opinionem refutare nequeo, nisi quod mirum videretur, Thucydidem eam ne uno quidem verbo memorasse. Meae sententiae etiam Manso, II. p. 382. sq. suffragatur, qui eam adductam esse ait ambitione optimatum, welche die Ephoren an ihrer Spitze, den obersten Gewalten entgegenarbeiteten, und ihnen ihre wohlbegründeten Rechte zu entziehen suchten, cet.

228) Teleutias Xen. IV. 4. 19. IV. 8. 4. — V. 1. 13. Non tamen semper navarchus. Pharax duos certe annos. Xen. Hellen. III. 2. 12. et III. 4. 29. cf. Isocrat. Paneg. 39. p. 108. ed. Spohn. et Dodwell, chronolog. Xenoph. ad annum XXIII. p. 45. ed. Schneid.

229) Xen. Hellen. V 1. 3. sqq. Dodwell ad annum Xenoph. XXIII. p. 43. arbitratur Antalcidam Hieraci in classis imperio successisse sed jure a Mansone, III. p. 91. not. k. repugnatur.

230) cf. Thucyd. III. 16. Alcidas. VIII. 6. Melancritas et Chalcideus. Xen. Hellen. III. 4. 29. Pisander.

231) Thucyd. VIII. 85. Anab. VII. 2. 5.

Ex praefectis ipsis, quorum nomina infra allaturus sum, eos dumtaxat paucis verbis memorabo qui aliqua re aut bona aut mala prae ceteris eminent. Si quis ignaviam, ignorantiam eximiam et perfidiam consideraverit, quarum vel una vel altera ad unum omnibus navarchis, quos Thucydides affert, inerat, non magnopere mirabitur, quod res Spartanorum navales ad Lysandrum usque tam misero statu appareant; vel potius censebit, omnium Lacedaemoniorum summam inscitiam in hac rei militaris parte et quod cujusque exercitationis expertes essent, haec praefectorum vitia — ignaviam certe et ignorantiam [232]) — attulisse quibus res navales perirent oportuit. — Risum Alcidae celeritas nobis movet, ubi nihil habuit antiquius quam ut, Mitylene Pacheti tradita, in Peloponnesum rediret [233]), et cautionem nimiam, qua apud Corcyram Atheniensium duodecim navibus universam classem quinquaginta trium triremum opposuit, ita ut Corcyraei, quos antea Peloponnesii urgebant, fugiendi facultatem obtinerent [234]). Indignamur ejus tarditatem, qua Lesbum, insulam tunc temporis maximi iis momenti, Lacedaemonii amittunt [235]), ejus ignaviam, quae obstabat, quo minus consiliis salutaribus aures praeberet [236]) et stultam crudelitatem, quum caperet et interficeret, quorum ope Lacedaemoniis maritimum imperium compararet [237]). Hic tamen etiam melior fuit Astyocho, qui quatuor tantum navibus advenit cum Athenienses in eo essent, ut insulam Lesbum sibi rursus subjicerent [238]), qui minarum memor et iracundiae Chium, insulam opulentissimam et Lacedaemoniis fidissimam

232) Lacedaemoniorum animos dimissos cum post cladem apud Pylum contra Athenienses mari potissimum pugnare deberent, Thucyd. IV. 55. demonstrat. cf. p. 22. not. 93.

233) Thucyd. III. 31.

234) Thucyd. III. 78.

235) Thucyd. III. 29. sqq.

236) Ut Teutiapli, apud Thucyd. III. 30. qui ei persuadere studebat ut Athenienses Mitylenae quiete consopitos adiret — et aliorum Jonum exulum ib. 31. ut Joniae aliquam urbem aut Cumam Aeolicam caperet, unde profectus Joniam ad defectionem compelleret. — Brasidae, apud Thucyd. III. 79. qui Corcyram urbem metu perculsam adeundi auctor exstitit.

237) Thucyd. III. 32.

238) Haec tamen mora minus Astyocho quam Peloponnesiis ipsis vindicanda. cf. p. 58. n. 109.

devastari patitur [239]), qui a Tissapherne corruptus militibus stipendii partem detrahi sinit [240]), qui denique tantum aberat, ut, cum Phrynichus metu et odio in Alcibiadem ductus ei totam Atheniensium classem proditurus esset, aliquid emolumenti ea ex re caperet, ut omnia, quae agerentur Alcibiadi et Tissapherni patefaceret [241]). Multis modis Tissapherni adstrictus omnia hujus consilia, licet Lacedaemoniis noxia, approbare debebat et tempus opportunum Athenienses Sami discordiis in factiones divisos aggrediendi praetermisit. Rixa tandem in classe ipsa exorta, vix effugit lapidationem [242]). Melior fuit Mindarus, qui primum certe callide Athenienses in Lesbo classe praeteriit in Hellespontum navigans [243]) neque in ordinando proelio apud Cynossema rudis est [244]) sed apud Cyzicum, quamvis fortis, tamen minus cautus [245]). — Lysander vero, quem Cicero versutissimum et patientissimum appellat [246]), Lacedaemonios navalium rerum studiosos fecit, tam classem quam nautas iis paravit, quum Persas, imprimis Cyrum, et sibi et Spartanae reipublicae amicos redderet [247]), — fuit enim *θεραπευτικὸς τῶν δυνατῶν* Plut. Lys. c. 2. — atque Atheniensium res astutia sua prorsus tandem fregit. Etsi Lysandri sagacitatem et prudentiam admiremur, in dubio tamen sumus, utrum eum Spartanae reipublicae auctoritatem apud exteros magis auxisse, an internos civium mores magis corrupisse sta-

---

239) Thucyd. VIII. 38. sqq. Krueger, p. 280 et 331. sqq.

240) Thucyd. VIII. 45. *Καὶ τοὺς τριηράρχους καὶ τοὺς στρατηγοὺς τῶν πόλεων ἐδίδασκεν* (Alcibiades Tissaphernum) *ὥστε δόντα χρήματα αὐτὸν πεῖσαι ὥστε ξυγχωρῆσαι ταῦτα ἑαυτῷ.* cf. ib. 83: *πάντων τε Ἀστύοχον εἶναι αἴτιον, ἐπιφέροντα ὀργὰς Τισσαφέρνει διὰ ἴδια κέρδη.*

241) Thucyd. VIII. 50. 51.

242) Thucyd. VIII. 78 et 83. sqq. *Οἱ ἐν τῇ Μιλήτῳ τῶν Πελοποννησίων ἐν τῷ ναυτικῷ στρατιῶται κατὰ σφᾶς αὐτοὺς διεβόων ὡς ὑπὸ Ἀστυόχου καὶ Τισσαφέρνους φθείρεται τὰ πράγματα· τοῦ μὲν οὐκ ἐθέλοντος οὔτε πρότερον ναυμαχεῖν, ἕως ἔτι αὐτοί τε ἔῤῥωντο μᾶλλον καὶ τὸ ναυτικὸν τῶν Ἀθηναίων ὀλίγον ἦν, οὔτε νῦν ὅτε στασιάζειν τε λέγονται καὶ αἱ νῆες αὐτῶν οὐδέπω ἐν τῷ αὐτῷ εἰσιν κ. τ. λ.*

243) Thucyd. VIII. 101.

244) Thucyd. VIII. 104. sqq.

245) cf. p. 62.

246) De off. I. 30. 14.

247) Xen. Hellen. I. 5. 2. sqq. et II. 1. 14.

tuamus [248]); dum Callicratidas contra ut effigies antiquae virtutis ex remotis temporibus exsistit, vir, qui prudentiam et ingenuum animum fortitudini [249]) adjunxerat.

Bello Peloponnesiaco finito primus Libys, Lysandri frater navarchus fuit [250]), deinde Samius et Pythagoras, qui Cyrum navibus in expeditione adjuvabant [251]); his Anaxi-

---

248) Descriptio vitae morumque tanti viri nostro consilio aliena est. Bene de eo agit Wachsmuth, l. l. I. 2. p. 261. sqq. — — Im Bemühen, die Spartiaten mit der See zu befreunden, Neuerer und Verführer für das Volk, das sich ihm vertraute, so lange es seiner bedurfte," cet. Manso, III. 2. p. 44—49. et II. p. 371—74.

249) cf. p. 63. sq. et p. 73. n. 216. Xen. Hellen. I. 6. 7. 8. 32.

250) In Piraei obsidione. Xen. Hellen. II. 4. 28. Diod. XIV. 13. ibique Wesselg. et 33. quo auctore XL naves secum habuit.

251) Xen. Anab. I. 4. 2. *καὶ Κύρῳ παρῆσαν αἱ ἐκ Πελοποννήσου νῆες, τριάκοντα καὶ πέντε καὶ ἐπ᾽ αὐταῖς ναύαρχος Πυθαγόρας Λακεδαιμόνιος.* Cum his pugnare videtur quod in Hellen. III. 1. 1. narratur: *οἱ ἔφοροι — Σαμίῳ τῷ τότε ναυάρχῳ ἐπέστειλαν ὑπηρετεῖν Κύρῳ εἴ τι δέοιτο κἀκεῖνος μέντοι προθύμως οὗπερ ἐδεήθη ὁ Κῦρος ἔπραξεν· ἔχων γὰρ τὸ ἑαυτοῦ ναυτικὸν σὺν τῷ Κύρου περιέπλευσεν ἐς Κιλικίαν, καὶ ἐποίησε τὸν τῆς Κιλικίας ἄρχοντα Συέννεσιν μὴ δύνασθαι κατὰ γῆν ἐναντιοῦσθαι Κύρῳ πορευομένῳ ἐπὶ βασιλέα.* Morus (Examen hist. gr. praem. p. XXXVI. (p. IX. apud Weiske Xenoph. script. t. III.) adstipulantibus Zeunio (ad Anab. l. l.) et Schneidero (ad Hellen. l. l.) hunc dissensum ita tollere studet, ut putet, Samium jam tum, cum expeditio Cyri suscepta sit, in Asia fuisse, et Spartanos ei mandasse, ut Cyrum quovis modo adjuvaret, utque hoc melius praestare posset, summisisse Spartanos quinque et triginta naves, quibus Pythagoras praefectus fuerit; hunc deinde suam classem cum classe Samii conjunxisse, aut suas naves Samio tradidisse, ipsumque reversum esse. Sed hanc rationem Krueger, de authentia et integritate Anabas. Xenoph. p. 13. repellere studet: „Nam Anabasis, inquit, de eo tempore loquitur, quo Cyrus Issi versabatur, unde, cum classis advenisset, statim ad Pylas Ciliciae et Syriae profectus est, in his quoque superandis navium auxilio usurus (Anab. I. 4. 5.) quas tamen paullo post domum remisit — Diod. XIV. 21. quem tamen non satis accuratum esse, ex Anab. I. 48. docet Hafen, Xenoph. und die 10,000 Griechen. I. p. 283.) Contra Hellenica prius tempus significant illud, quo Cyrus Ciliciam intrare voluit: cujus aditum ne Syennesis tutari auderet, classem impedivisse etiam Anab. (I. 2. 21.) memorat. — Haec qui reputaverit potius statuet, Samio, cujus annus illo ipso tempore impletus fuerit, (ita conjecit Becker, interpret. germ. p. 26 n. 26. cf. Manso, III. 1. p. 25. sqq. favet huic explicationi, quod ex Hellen. I. 5. 1. 6. 1. col. 3. 1. colligi potest verno tempore navarchos munus auspicatos esse. v. tamen Thucyd. VIII. 85. et Anab VII. 2. 5.) Pythagoram navarchum successisse. Quod si quis ne hanc quidem rationem probandam esse censeat, conjicere licet, initio Samium cum tota Lacedaemoniorum classe ad Ciliciam contendisse ac postmodum, cum Cyrum in eam intrasse audivisset, ipsum cum parte navium reversum esse; cum parte Pythagoram, qui

bius [252]), et Polus [253]) successisse videntur. Pharacis, quem deinde Dercyllidam in expeditione contra Cariam comitantem videmus [254]) jam supra mentionem feci. Qui quamdiu classi apud Rhodum praefuit, Cononis et Persarum inceptus repressit [255]) atque terrestres Dercyllidae et Agesilai expeditiones adjuvit [256]). Ejus loco rex Agesilaus uxoris fratrem Pisandrum

---

Tamo duce, Cyro praesto esset, reliquisse. Haec explicatio nec Hellenicorum loco repugnat, et ex Anabasi ipsa videtur probari posse." Quamvis argumentationi, quae in posito et omisso articulo nisa est, non permultum tribuam, neque ex nomine *Λακεδαιμόνιος* Pythagoram Perioecum fuisse colligi potest, sententiae tamen ejus accedere minime dubito.

252) Xenoph. Anab. V. 1. 4. *Ἀναξίβιος ναυαρχῶν δὲ καὶ τυγχάνει* et VI. 1. 16. *ὅτι ἐπαινοίη αὐτοὺς καὶ Ἀναξίβιος ὁ ναύαρχος* cet. ib. VII. 1. 3.

253) Xen. Anab. VII. 2. 5. *ἐλέγετο δὲ ὅτι καὶ ναύαρχος διάδοχος Πῶλος ὅσον οὔπω παρείη εἰς Ἑλλήσποντον*, quem Schneid. ad Xen. Hellen. V. 4. 61. eundem esse censet ac Pollin, sed jure a Kruegero, de authent. Xenoph. Anab. p. 13. not. 62. reprehenditur.

254) Xen. Hellen. III. 2. 12. Haec Dercyllidae expeditio in Cariam tempore verno anni XIV. Xenoph. (initio) Ol. 95. 3. 398 a. Chr. suscepta est. Cum vero inter Pharacem et Pisandrum, quem Agesilaus auctumno II anni, ex quo in Asia versabatur (an. Xen. XVI. med. a Chr. 395. init. Ol. 96. 2.) classi praefecerat, non alius dicatur navarchus, Pharacem duos certe annos praefecti munere functum esse statuendum erit, quod nullas dubitationes subire debet, etsi legi supra allatae repugnet, cum eodem tempore et Dercyllidam et Agesilaum per duos integros annos, imperium tenere videamus. Nec incredibile est legem illam in expeditionibus tam remotis prolatam fuisse.

255) Conon fortasse verno tempore anni Xenoph. XV. Pharnabazi studio quingenta talenta ab Artaxerxe ad classem exstruendam accipit, quibuscum XL naves comparat, et per aestatem contra Pharacis classem agit. qua ille Cauni eum obsessum tenet. Deinde cum Artaxerxes a Tissapherne persuasus nullas suppeditaret pecunias, Conon hieme ad Regem profectus esse videtur, unde „magnis muneribus donatus, reversus classem comparabat, qua proxima aestate (an. Xen. XVI.) mare tueri posset." Corn. Nep. Con. IV. Manso, III. p. 37. sqq. not. o. cf. praeterea Diod. XIV. 79 et 81. Justin. VI. 2. 11—16. Isocrat. Paneg. 39. p. 102. et Schneid. ad Xen. Hellen. IV. 3. 11. p. 198. sqq.

256) Pharacis laudem Isocrat. Paneg. 39. p. 108. ed. Spohn. satis exprimit, nam hunc respexisse videtur, cf. Manso, III. p. 60. not. z. *τρία μὲν ἔτη περιεῖδε (ὁ βασιλεύς) τὸ ναυτικὸν τὸ περὶ τὴν Ἀσίαν ὑπὸ τριηρῶν ἑκατὸν μόνον πολιορκούμενον.* — Theopompi vituperatio apud Athen. XII. p. 536. *ἐτρύφησε δὲ καὶ Φάραξ ὁ Λακεδαιμόνιος — καὶ ταῖς ἡδοναῖς οὕτως ἀσελγῶς ἐχρήσατο καὶ χύδην ὥστε πολὺ μᾶλλον διὰ τὴν αἰτίαν ταύτην αὐτὸν ὑπολαμβάνεσθαι Σικελιώτην ἢ διὰ τὴν πατρίδα Σπαρτιάτην*, hanc laudem non tollit, quia luxuria et voluptates cum fortitudine optime conjunctae esse possunt, licet fortasse et Theopompus modum excedat. Ceterum apud Diod. XIV. 63.

classi praefecit, juvenem, ut Xenophon[257]) ait, *φιλότιμον μὲν καὶ ἐῤῥωμένον τὴν ψυχὴν*[258]) *ἀπειρότερον δὲ τοῦ κακασκευάζεσθαι, ὡς δεῖ.*

Corinthiorum[259]) defectio Spartanis magno videtur damno fuisse, cum et hujus civitatis magnis carerent suppetiis et maritimas suas vires dividere deberent[260]). Omnium deinceps classis praefectorum primus Teleutias dignus est, cujus mentionem faciamus, qui prudentia et fortitudine[261]), mira celeritate[262]) et classiariorum studio prae ceteris eminebat, et arte erat praeditus milites ad quemcunque conatum commovendi[263]). Antalcidas deinde, versutus ut Lysander sed Spartani honoris nimium negligens Lacedaemoniis labentem Persarum amorem recuperavit eosque eam ob rem victores belli diutini reddidit[264]). Pollis[265]) denique et Nicolochus[266]), quos postea navarchorum muneribus ornatos reperimus, haud magni momenti videntur fuisse, et postremus

---

Pharacidas Spartanus navarchus occurrit, qui Dionysio suppetias fert, et quem Polyaen. quoque strateg. II. 11. memorat.

257) Hellen. III. 4. 29.

258) Fortitudinem, quam in proelio navali apud Cnidum demonstravit, etiam Diod. XIV. 83. laudibus extollit.

259) A Tithrauste potissimum corrupti. Xen. Hellen. III. 5. 1. sqq. et a Pharnabazo adjuti ib. IV. 8. 9.

260) Xen. Hellen. IV. 8. 10. sqq. Corinthii Agathinum navarchum in sinum Crissaeum classe miserunt, contra quem Lacedaemonii Polemarchus et hoc mortuo et Pollide legato vulnerato, Herippidas agebant, quem Teleutias secutus est, dum eodem tempore Ecdicus apud Cnidum versatur. ib. IV. 8. 22. sqq.

261) Xen. Hellen. IV. 8. 23. et V. 1. 2.

262) V. 1. 18. sqq.

263) Xen. Hellen. V. 1. 13. 14. sqq.

164) cf. Wachsmuth, Hellen. Alterthkde. I. 2. p. 236.: Antalcidas, schlau, gewandt, gleichgültig über Wahl und Mittel, ohne Sinn für Sparta's Ehre und für Aufrechthaltung des Hellenismus gegen die Barbaren — zu seiner Charakterist. s. Plutarch. Agesil. 21. 22. (?) cet.

265) Initio fuit Polemarchi *ἐπιστολεὺς* in sinu Crissaeo Xen. Hellen. IV. 8. 11. Deinde legatus fuit apud Dionysium, qui ei Platonem tradidit, quem Aeginae postea vendidit, Diog. Laert. 3. 19. ejus mors apud eundem 3. 20. Occurrit nomen praeterea Aeschin adv. Ctesiph. c. 75. Tzetzes, Chiliad. X. 559. *Πώλιδος ναυάρχου* et 362.

266) Eum misit Antalcidas tanquam *ἐπιστολέα* Abydenis, ab Iphicrate pressis, auxilio. Xen. Hellen. V. 1. 5. sqq ubi tamen ab Iphicrate obsidetur, sed ab Antalcida liberatur ib. V. 1. 25. sqq. Post proelium apud Naxum Lacedaemonii contra Timotheum *ἀντεπλήρωσαν ναυτικὸν, καὶ Νικόλοχον ναύαρχον, μάλα θρασὺν ἄνδρα ἐξέπεμψαν·*

Mnasippus[267]), incautus et negligens[268]), commodis suis uti nesciebat.

B. *De classis legatis* (*ἐπιστολέσι*).

Inferior praefectus, qui *ἐπιστολέως* nomine persaepe apud Xenophontem occurrit[269]), fuit „legatus, ut Sturzii verbis utar[270]), navarcho apud Lacedaemonios additus, ut, si quid accidisset, illi succederet et ibi, ubi navarchus non posset, rem gereret. Possit verti: legatus classis sive navarchi." Hanc interpretationem et Pollucis[271]) verba: *ὁ ἐπὶ τοῦ στόλου διάδοχος τοῦ ναυάρχου* adjuvare videntur, quam ob rem etiam Schefferus[272]), Cragius[273]) et Schneiderus[274]) eandem sententiam pronuntiant.

Valkenarius contra[275]) suspicatur, quia *ἐπιστολεὺς* apud Xenophontem[276]) etiam *ἐπιστολιαφόρος* dicatur, *ἐπιστολέα* proprie dictum esse, qui praefecti mandata — *τὰς ἐπιστολὰς* — perferret ad classiarios; „quae quidem Valkenarii explicatio, pergit Sturzius, non convenit in locos Xenophonteos: *παρὰ Ἱπποκράτους τοῦ Μινδάρου ἐπιστολέως ἐς Λακεδαίμονα γράμματα πεμφθέντα*[277]). Sed hic, opinor, locus Valke-

---

dimicavit apud Leucadem infauste cum LV navibus contra Timotheum qui LX secum duxit, Xen. Hellen. V. 4. 64. sqq.

267) Communi Peloponnesiorum classi praeficitur, Xen. Hellen. VI. 2. 3. expeditionem suscipit contra Corcyram ubi interficitur. Xen. VI. 2. 22.

268) Xen. Hellen. VI. 2. 17. *Κατιδόντες δὲ ἀπὸ τῶν πύργων οἱ ἐκ τῆς πόλεως τάς τε φυλακὰς χεῖρον ἢ πρόσθεν φυλαττομένας, ἐσπαρμένους τε κατὰ τὴν χώραν τοὺς ἀνθρώπους ἐπεκδραμόντες τοὺς μέν τινας αὐτῶν ἔλαβον, τοὺς δὲ κατέκοψαν.*

269) Xen. Hellen. I. 1. 23. II. 1. 7. IV. 8. 11. V. 1. 5. 6. VI. 2. 25.

270) Lex. Xenophont. s. v. II. p. 321.

271) Pollux. I. 96. (p. 67. ed. Amstelod.) ibique Jungermann.

272) De milit. naval. IV. 5. p. 288. Proximae (navarcho) dignationis fuit, quem *ἐπιστολέα* Graeci appellarunt. Solebat hic praetoris vices agere, eique in labore perferendo subvenire.

273) De rep. Laced. IV. 5. p. 245. *Ἐπιστολεὺς* autem erat navarcho quasi legatus sicut Polemarchi regis in bellis terrestribus, qui et *ἐπιστολιαφόρος* dicitur apud Xenophontem. cet.

274) In indice ad Xen. Hellen. s. v. — legatus navarchi, qui absentis vel mortui munus vicesque obibat. Sic Morus, cui Schneid. adstipulatur.

275) Ad Theocrit. Adoniazus. p. 263.

276) Xen. Hellen. VI. 2. 25.

277) Xen. Hellen. I. 1. 23.

narii interpretationi non obstat. Nonne enim, quaeso, ἐπιστολεὺς utroque munere, de quibus litigatur, fungi potuit? Fuit proximus navarcho — sic omnes consentiunt — cui eo vivo ipsoque muneribus fungente nihil erat faciendum, nisi ut ejus mandata et ipse sequeretur, et ea aliis classiariis patefaceret, qui autem praefecto mortuo aut absente, ut proximus, ejus munus vicesque ipse obibat [278]).

Qui duces ἐπιστολέων munere fungebantur, sunt praeter Leontem, quem Thucyd. Antisthenis ἐπιβάτην appellat [279]) Hippocrates et Hegesandridas. Ille, postea Chalcedonis harmosta [280]), fortis quidem fuit, sed nimis desperationi animique demissioni post cladem Cyzicenam indulgebat [281]). Hegesandridas, ab Atheniensium optimatibus fortasse accessitus [282]), quum Piraeo potiundi spe frustatus esset [283]), Thymocharem Atheniensis classis ducem apud Eretriam tanta clade affecit, ut Athenienses viginti duas naves amitterent. Nullum tempus opportunius esse potuit, quo Athenarum obsidione hostes cogeret, ut aut naves, quae in Asia versarentur revocarent ibique Lacedaemoniis maris imperium concederent, aut urbem ipsam desperatam primo impetu traderent. Sed Spartani tarditas et hic saluti fuit Atheniensibus; quare statuere malim illam victoriam Eretriensium proditione et fraude esse reportatam, non vero Hegesandridae prudentia [284]).

278) cf. praeterea Goeller ad Thucyd. IV. 38. t. I. p. 482. qui ἐπιστολέα cum hippagretis comparat.

279) Thucyd. VIII. 61. Krueger, p. 300. not. 56. „Quod hic libri quidam inserunt, ἀντὶ στρατηγοῦ, interpretamentum est ad ἄρχοντα vel ad ἐπιβάτης. Nam cum Hegesandridas, quem classi praefuisse novimus, a Xen. Hellen. I. 3. 17. Mindari ἐπιβάτης dicatur, non improbabile censeo, hoc nomine a Lacedaemoniis dictum esse inferioris ordinis ducem, ἐπιστολέως similem. cf. Sturz, lex. Xenoph. III. p. 369. et Schneid. ad l. l.

280) Xen. Hellen. I. 3. 5. Diod. III. 66. — Cecidit in proelio.

281) Xen. Hellen. I. 1. 23.

282) Thucyd. VIII. 92. cf. 91 et 94. — Krueger, l. c. p. 383. sq.

283) Thucyd. VIII. 94. cf. Krueger, p. 388.

284) Thucyd. VIII. 96. Cum Hegesandridas statim post hoc proelium in Asia inveniatur, et non ita multo post — Xen. Hellen. I. 3. 17. — naves Clearcho ex Thracia adducit, Zeune et Morus ad Xen. l. l. (p. 24. 25. ed. Schn.) statuendum esse censuerunt, hunc ἐπιβάτην ab illo duce apud Thucyd. diversum esse, a qua opinione etiam Sturz. lex Xen. s. v. II. p. 458. non abhorret. Sed si admittimus ἐπιβάτην non gregarium militem navalem significare, sed praefectum

Mindaro occiso Cratesippidas navarchi munere ornatus est[285]), cujus *ἐπιστολεὺς* Pasippidas fuisse videtur[286]). Sed neuter aliquid memorabile gessit nec gerere potuit, cum nova classis, quae Antandri parabatur, nondum ad finem esset perducta[287]). Hic vir commemorandus est, qui licet nusquam diserte *ἐπιστολεὺς* dicatur, tamen propter temporis spatium, quo Spartanorum classi et praefuit et infuit, hoc quoque munus administrasse videtur, Eteonicum dico. Jam enim apud Thucydidem[288]) nominatur; deinde in insula Thaso harmostes factus seditione orta expellitur[289]). Callicratidas ante pugnam apud Arginusas cum navium parte eum, ut Cononem obsessum teneat, relinquit[290]), quas naves, pugna infeliciter commissa et praefecto occiso, astute in Chium servavit[291]). Eum ex amicis fautoribusque

---

quemdam ejusdem aut aequalis fere ordinis ac *ἐπιστολέα*. dissensus fortasse ita componi potest: Mindarus Hippocratem et Epiclem in Euboeam misit, ut Hegesandridam cum classe accirent (Thucyd. VIII. 107.) quem initio Xenoph. histor. gr cum Thymochare iterum dimicantem reperimus. Cum tamen ejus naves non in Mindari numero apud Abydum inesse possint, ut Krueger, p. 324. sqq. clare demonstrat, neque Diod. XIII. 41. narrationi, paene omnes naves naufragio periisse credendum sit (ibid. l. l.), accipiendum esse censeo, Hegesandridam statim post parvum proelium cum Thymochare a Mindaro esse demissum, et Hippocratem tamquam Mindari *ἐπιστολέα* (in illius loco?) in Asia remansisse. Hanc sententiam etiam Krueger, l. l. probat.

285) Cratesippidas apud Chium accipit naves — Diod. XIII. 65. numerat XXV. — quas Eteonicus, Thasi harmostes, a sociis collegerat. Xen. Hellen. I. 1. 32. Ejus res gestas nec multas nec magnas memorat Diod. XIII. 65.

286) Pasipidas Spartanis suspectus, quasi cum Pharnabazo Thasios ad defectionem a Lacedaemoniis movisset, Spartam fugere cogitur. Xen. Hellen. I. 1. 32. Mox tamen ab omni crimine liberatus tanquam *ἐπιστολεὺς* Cratesippidae adjunctus esse videtur, quod Xen. Hellen. I. 3. 17. naves memorat, *αἵ ἦσαν ἐν τῷ Ἑλλησποντῳ ἄλλαι ἄλλῃ καταλελειμμέναι φρουρίδες ὑπὸ Πασιππίδου* et in legatorum numero est, quos Lacedaemonii ad Regem miserunt. Xen. Hellen. I. 3. 13. cf. Manso, Sparta, II. p. 314. not. g.

287) Xen. Hellen. I. 1. 25. cf. I. 3. 17.

288) VIII. 23.

289) Xen. Hellen. I. 1. 32.

290) Xen. Hellen. I. 6. 26. *αὐτοῦ μὲν κατέλιπε πεντήκοντα ναῦς, καὶ ἄρχοντα Ἐτεόνικον.* Eteonicum apud Callicratidam *ἐπιστολέως* munera obiisse pro certo arbitror. — Non incredibile videtur, eum, cum Lysandro et postea cum Anaxibio conjunctum, bis vel ter *ἐπιστολέως* officiis functum esse, quia non probabile est, etiam classis legatum, minoris Navarcho momenti, sub illa lege comprehensum fuisse.

291) Xen. Hellen. I. 6. 37. sqq.

Lysandri fuisse ex Xenophonte [292]) conjici potest, quare non incredibile puto, Eteonicum etiam in prima Lysandri expeditione ejus classi infuisse, cui deinde Callicratidas praefectus est. Tam prudentiam, quam animi fortitudinem in opprimenda militum conjuratione comprobavit [293]). Postea cum Anaxibio Byzantii versatur ejusque proditionis in Cyri reduces mercenarios particeps est [294]). Postremum denique in insula Aegina vitam aliquamdiu degebat; parva vero in bellis contra Athenienses auctoritate et obedientia fruitur apud milites, quibus stipendium segniter solvit [295]). Longa commoratio in exteris terris inter nautas et stipendiarios certo posteriorem vitae aetatem corruperat. Gorgopas, Hieracis *ἐπιστολεὺς* in Aegina, neque ingenio, neque fortitudine carebat [296]); adversa tamen fortuna utebatur in proelio nocturno contra Chabriam. — Pollidis et Nicolochi, quorum uterque *ἐπιστολέως* munere fungebatur, jam in Navarchorum serie mentionem feci. Postremus denique classis legatorum Hypermenes, cautior navarcho suo Mnasippo, exercitus naviumque reliquias post hujus mortem, multa quidem praeda relicta, a Corcyra servavit [297]). Ceterum etiam legatum classis aeque ac praefectum ab Ephoris Spartae esse creatum non a Navarcho ipso, mihi persuasum est [298]).

Inter navium praefectos etiam trierarchos illos, qui in proelio apud Pylum occurrunt, paucis verbis memorandos censeo [299]). — Atheniensium collatis trierarchis [300]) fortasse conjicere possumus, jam tunc divites inter Spartanos fuisse, quales post Lysandri tempora reperiantur, qui aut sponte sua, ut auctori-

---

292) Xen. Hellen. II. 1. 6. Non sine illius consilio Chiotae Lysandrum in Asiam revocasse videntur. et II. 2. 5. *ἐς δὲ τὰ ἐπὶ Θρᾴκης χωρία ἔπεμψε δέκα τριήρεις ἔχοντα Ἐτεόνικον, ὅς τὰ ἐκεῖ πάντα πρὸς Λακεδαιμονίους μετέστησεν.*
293) Xen. Hellen. II. 1. 1. sqq.
294) Xen. Anabas. VII. 1. 12 et 20.
295) Xen. Hellen. V. 1. 1. *ὢν δὲ πάλιν* — jam antea igitur aliquando ibi adfuit — *ὁ Ἐτεόνικος ἐν τῇ Αἰγίνῃ.* et V. 1. 13.
296) Xen. Hellen. V. 1. 5. et sqq.
297) Xen. Hellen. II. 2. 25. sqq.
298) Quod ex Xen. Hellen. II. 1. 7. patet: *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἔδοσαν τὸν Λύσανδρον ὡς ἐπιστολέα, ναύαρχον δὲ Ἄρακον.*
299) Thucyd. IV. 11. cf. Diod. XII. 62.
300) Fr. Hermann, Gr. antiquitt. §. 161. 8. sqq.

tatem augerent, aut a magistratibus jussi, naves praebuerint earumque ipsi sub Navarchi imperio ductores exstiterint [301]). — Utrum vero trierarchi hoc tantum in tempore, vel simili rempublicam his oneribus sublevarint an, quod ex Atheniensis Cephisodoti apud Xenophontem [302]) verbis, patere videtur, vel semper, vel per longum certe temporis spatium navalium rerum curam apud Lacedaemonios quoque habuerint, argumentis deficientibus confirmari non potest [303]).

---

301) Unter diesem (Navarchos) standen die Trierarchen, welche zwar eigentlich nur Inhaber der von ihnen aufgetakelten Schiffe waren, aber den Krieg verstehen mußten. Wachsm. Hellen. Alterthskde. II. 1. p. 409.

302) Xen. Hellen. VII. 1. 12. *Λακεδαιμόνιοι δὲ ὑμῖν ἐὰν συμμαχῶσι, δηλονότι πέμψουσι τοὺς μὲν τριηράρχους Λακεδαιμονίους, καὶ ἴσως τοὺς ἐπιβάτας* cet. Quae tamen vox vel ita explicari potest, ut Ceph. Atheniensium magistratus et Spartanis substituat, vel ut sub trierarchis omnino praefectos intelligat.

303) Trierarchi ceterum, qui persaepe in Peloponnesiorum classe occurrunt, ut Thucyd. VIII. 45. *καὶ τοὺς τριηράρχους καὶ τοὺς στρατηγοὺς τῶν πόλεων* etc. Xen. Hellen. I. 1. 25. al. non Spartani sed socii fuerunt. Syracusanorum trierarchi diserte a Xenoph. Hellen. I. 1. 28. memorantur.

Tabula Navarchorum aliorumque ducum.

anni ante Chr.	Olymp.	anni Thucydid. et Xenophont.	Navarchorum nomina.	ἐπιστολεῖς.	Alii praefecti.	Res gestae.
480	74 4	—	Eurybiades	—	—	Pugna apud Artemisium et Salamina.
479	75 1	—	Leotychides	—	—	Proelium in promontorio Mycale.
478 et 477	75 2 / 75 3	—	Pausanias	—	Dorcis	Byzantium occupatur. — Spartani amittunt imperium maritimum. (cf. Clinton, fast. Hell. App. VI. p. 248. sq.)
429	87 3	2/3	Cnemus	—	Brasidas Ξύμβουλος	Pugna navalis in sinu Crissaeo et apud Rhium. Expeditio adversus Piraeum.
428	87 4	4	Alcidas	—	—	Lacedaemonii Lesbiis opem ferre constituunt. (Thucyd. III. 16.)
427	88 1	5	Alcidas	—	Brasidas Ξύμβουλος (?)	Mitylene occupatur. Alcidas in itinere adversus Lesbum diutius moratur. Classis redux in Corcyram a Cyllene navigat.
425	88 3	7	Thrasymelidas	—	Brasidas Τριηράρχων	Classis a Corcyra, quo optimatibus auxilio profecta erat, Pylum navigat, ubi Spartani Atheniensium fraude LX naves amittunt.

412	91 4	20	Astyochus (Antisthenes)	— Leon, Spartiates, ἐπιβάτης	(Malancridas) Chalcideus [304]). — Theramenes (VIII. 26.). — Hippocrates (35.) — Antisthenes (39.) — Λίχας ξύμβουλος. — Deiniades περίοικος (22.) Eteonicus.	Spartani maris imperium affectant. Plures civitates, imprimis Chii, ad eos deficiunt.
411 / 410	92 1 / 92 2	21	Mindarus [305])	Hippocrates	Hegesandridas Clearchus Byzantii	Pugna ad Eretriam — ad Cynossema. — Jactura classis apud Cyzicum.
410 / 409	92 2 / 92 3	22 / 23	Cratesippidas	Pasippidas (?)	Hegesandridas in Thracia.	Naves Antandri parantur. — Plurimae Hellesponti civitates Atheniensibus accedunt. — Legati ad Regem.
408 / 407	92 4 / 93 1	24 / 25	Lysander	—	(Eteonicus)?	Cyrus Lysandro amicus. — Proelium ad Notium.

304) Vid. p. 58. n. 105. et Krueger, l. l. p. 288: „De Chalcideo autem requiras Melancridae loco **navarchus** sit factus, an harmosta tantum Chium missus. Verum esse posterius inde apparet, quod postmodum, **vivo adhuc** Chalcideo (VIII. 24.), Astyochus navarchus Cenchreas venit ὥσπερ ἐγίγνετο ἤδη ἡ πᾶσα ναυαρχία (VIII. 20.). **Quae verba** eo spectare puto, quod ejus decessor Melancridas, nonnisi Lacedaemoniorum navium imperium habuisset, **Astyochus** autem etiam sociorum."

305) Pugna apud Cyzicum media aestate (fortasse Julio) anni 410 a. Chr. commissa est, cum Mindari **navarchia** jam expleta esset; ei aut ejusdem anni auctumno aut potius insequente vere (409) Cratesippidas successit. — **Certe,** licet cum Haackio pugnam apud Cyzicum mense Jan. v. Febr. a. 410. commissam esse accipias, tamen **aliquod tempus** inter Mindari mortem et Cratesippidae navarchiam intercessisse statuendum erit, per quod Antandri classis **aedificatur.** Nam simul ac Cratesippidas de praefectura decessit, Lysander extemplo munus accepisse videtur.

anni ante Chr.	Olymp.	anni Thucydid. et Xenophont.	Navarchorum nomini.	ἐπιστολεῖς.	Alii praefecti.	Res gestae.
407	93 2	25	Callicratidas	Eteonicus ?	—	Methymna vi capitur. — Pugna apud Arginusas.
406	93 3	26				
405	93 3	27	Aracus	Lysander	—	Lampsacus oppugnatur. Proelium apud Aegospotamos. (Nov.)
vere	93 4 vere					
404	93 4	28	Aracus (non nominatur.)	Lysander	—	Athenarum obsidio; pax Atheniensibus conceditur. — Lysander redit Spartam sub finem aestatis.
	94 1					
404	94 1	VIII	Libys	—	—	Lacedaemonii Piraeum obsident.
403	94 2					
403	94 2	IX	(Panthoides ?)	—	—	Expeditio adversus Clearchum Byzantii tyrannum. (Diod. XIV. 12.)
402	94 3					
402	94 3	X	Samius	Pythagoras ?	—	Cyri expeditio contra fratrem Artaxerxem.
401	94 4					
401	94 4	XI	Anaxibius	(Eteonicus) ?	—	Cyri stipendiarii Byzantium redeunt. Thimbron in Asiam proficiscitur.
400	95 1					
400	95 1	XII	Polus	—	—	Thimbron revocatur. Dercyllidas ei succedit. (Clint. fast. H. p. 90 et 274. sq.)
399	95 2					

399	95 2	XII	?	?	—	Dercyllidas Aeolidem subigit; murum in Cherseneso exstruit; Atarnas obsidet.
398	95 3	XIII				
398	95 3	XIV	Pharax	—	—	Pharax in Cariam contendit. Dercyllidas inducias facit cum Tissapherne.
397	95 4					
307	95 4	XV	Pharax [306])	—	—	Agesilaus in Asia. — Pharax contra Cononem agit.
396	96 1					
395 aestate	96 2	XVI	Pisander	—	—	Conon insequenti hieme ad Regem proficiscitur et deinde classem comparat.
394	96 2	XVII	Pisander (init. Augusti)	—	—	Proelium navale apud Cnidum. — Harmostae Spartanorum expelluntur.
	96 3					
393	96 3	XVIII	Teleutias Polemarchus (†)	Pollis —	Herippidas	Teleutias cum fratre Agesilao contra Corinthum. — Polemarchus ceterique in sinu Crissaeo adversus Corinthium Agathinum. — Antalcidas ad Tiribazum. — Conon vinculis injicitur.
	96 4					
392	96 4	XIX	Teleutias in sinu Crissaeo.	—	—	Thimbron a Strutha satrapa victus et occisus.
	97 1					
391	97 1	XX	Ecdicus	—	Teleutias in sinu Crissaeo.	Diphridas adversus Strutham. Ecdicus cum contra Rhodios nihil agere posset, ad Cnidum otiose naves in stat. tenebat.
	97 2					

306) Pharax etiam in mediam usque aestatem **tertii** anni classi circa Rhodum praefuisse videtur ubi Pisander imperium suscipit. cf. p. 79. n. 254. 56.

anni ante Chr.	Olymp.	anni Xenophont.	Navarchorum nomina.	ἐπιστολεῖς.	Alii praefecti.	Res gestae.
390	97 2 / 97 3	XXI / XXII	Teleutias	—	Eteonicus in Aegina	Teleutias potitur X Atheniens. navibus et adjuvit Rhodiorum optimates contra plebem. — Anaxibius harmostes Abydum mittitur.
389 / 388	97 4	XXII / XXIII	Hierax (in Rhodum), Antalcidas (ad Regem)	Gorgopas (in Aegina), Nicolochus (Abydi)	Teleutias post Gorgopae mortem in Aegina	Aeginetae a Spartanis contra Athenienses adjuti. Antalcidas ad Artaxerxem mittitur.
387	98 1 / 98 2	XXIV	Antalcidas	Nicolochus	—	Abydus liberatur. — Pax Antalcidea.
376	100 4 / 101 1	XXXV	Pollis	—	—	Pugna ad Naxum.
375	101 1 / 101 2	XXXVI	Nicolochus	—	—	Pugna apud Leucadem contra Timotheum.
374	101 2 / 101 3	XXXVII	Aristocrates? (Diod. XV. 45.)	Alcidas? (Diod. l. l.)	(Alcidas)	Spartani Zacynthios adjuvant.
373	101 3 / 101 4	XXXVIII	Mnasippus	Hypermenes	—	Spartani a Corcyraeis superantur.

IV.

De rationibus pecuniariis Lacedaemoniorum in rebus maritimis; inde a bello Peloponnesiaco.

Jure quis miretur unde Lacedaemonii pecunias sumserint ad classem exstruendam et sustentandam, cum neque ceteri Peloponnesii, agrestes homines, tantam pecuniae molem conferre possent, ut tamdiu bellum sumtuosum sustinerent, quod vel Atheniensium belli initio quam maxime opibus exstructorum[307]) facultates tandem exhausit, neque ipsorum pauper civitas multum posset praebere.

Ex Thucydide cognoscimus[308]), jam Archidamum, priusquam bellum Lacedaemonii inciperent, inter alia documenta, quibus id bellum cum Atheniensibus intermittendum esse demonstravit, etiam pecuniae inopiam commemorare, quam inopiam deinde Corinthii argentis ex Olympiae Delphorumque aerario mutuis sumtis fore ut explerent arbitrabantur[309]). Praeterea duas potissimum vias adire eos videmus, unde et militibus stipendium solverent et ad naves aedificandas pecuniam sumerent: primum, per *βιαίους ἐςφορᾶς,* cum summam constitutam — *ἀργύριον ῥητόν* — singulis adjunctis civitatibus

307) cf. Thucyd. II. 13. et Diod. XII. 40. Boeckh, Staatshltg. I. p. 312. sqq. Manso, Sparta, II. p. 493. sqq.

308) I. 80. *οὔτε ἐν κοινῷ ἔχομεν οὔτε ἑτοίμως ἐκ τῶν ἰδίων φέρομεν* (cf. Poppo prolegg. I. 2. p. 98. et Thucyd. I. 19. 141.) Nam socii *οὐχ ὑποτελεῖς φόρου.* cf. Aristot. Polit. II. 6. 23. — *Φαύλως δ' ἔχει καὶ περὶ τὰ κοινὰ χρήματα τοῖς Σπαρτιάταις· οὔτε γὰρ ἐν τῷ κοινῷ τῆς πόλεώς ἐστιν οὐδὲν πολέμους μεγάλους ἀναγκαζομένοις πολεμεῖν· εἰςφέρουσί τε κακῶς· διὰ γὰρ τὸ τῶν Σπαρτιατῶν εἶναι τὴν πλείστην γῆν, οὐκ ἐξετάζουσιν ἀλλήλων τάς εἰσφοράς, ἀποβέβηκέ τε τοὐναντίον τῷ νομοθέτῃ τοῦ συμφέροντος· τὴν μὲν γὰρ πολιν πεποίηκεν ἀχρήματον, τοὺς δὲ ἰδιώτας φιλοχρημάτους.*

309) Thucyd. I. 121. 143.

imponunt, aut persuasione exigunt [310]), vel devictis urbibus quidquid possunt, diripiunt [311]). Deinde per foedus cum Persarum Rege.

Jam initio belli Lacedaemonii regem Artaxerxem in suas partes perducere studebant [312]), ignominiam talis foederis Atheniensium insidiis excusantes [313]); sed cum legati eo missi nihil prorsus perficerent [314]), Lacedaemonii eo consilio destiterunt, donec post Atheniensium cladem in Sicilia Darii [315])

---

310) Thucyd. I. 141. In harum numero imprimis Asiae minoris divites civitates erant; a Milesiis et Chiis etiam justus Callicratidas pecuniam coegit. Xen. Hellen. I. 6. 12. — Eteonicus iterum a Chiis. ib. II. 1. 5. quae civitas potissimum divitiis florebat, Thucyd. VIII. 24. 40. 45. cf. Manso, II. p. 492. not. t. et plura apud Krueger ad Dionys. p. 331. sqq. Quamquam fortasse Diod. XIV. 10. non penitus credere debeamus, qui dicit: *ἔταξαν δὲ καὶ φόρους τοῖς καταπολεμηθεῖσι καὶ τὸν πρότου χρόνον οὐ χρώμενοι νομίσματι, τότε συνήθροιζον ἐκ τοῦ φόρου κατ' ἐνιαυτὸν πλείω τῶν χιλίων ταλάντων* non tamen dubium est, quin harum civitatum conditio nihilo fuerit melior sub Spartanorum principatu quam Atheniensium, quare alias in aliorum partes transeuntes et post proelium ad Cnidum plurimas ad Cononem et Pharnabazum dificientes videmus. — Jam Thimbron *ζημιωθεὶς ἔφυγεν ὅτι ἐφίει ἁρπάζειν τῷ στρατεύματι τοὺς φίλους.* Xen. Hellen. III. 1. 8. — et Clearchus in Byzantios *χαλεπὸς ἦν* Diod. XIII. 66. et XIV. 12. cf. Xen. Hellen. I. 3. 18. — Egregie de hac re egit Manso, Sp. III. 1. p. 206. sqq.

311) Sic Agis e Decelea profectus pecunias ad classem exstruendam a superatis Oetaeis et Achaeis Phthiotis coegit. Thucyd. VIII. 3. — ab Jasiis, Thucyd. VIII. 28. cf. 36. — a Rhodiis, Thucyd. ib. 44. cf. Manso, II. p. 491. — Postea praedae quoque, quas et Dercyllidas et Agesilaus ex Regis terris egerunt, Lacedaemoniorum opes augebant, Xen. Hellen. III. 1. 27. III. 4. 12. al.

312) Thucyd. II. 7. *πρεσβείας τε μέλλοντες πέμπειν παρὰ βασιλέα καὶ ἄλλοσε ἐς τοὺς βαρβάρους.* cf. omnino Krueger ed Dionys. p. 350. sq. Manso, Sparta, II. p. 470. sqq.

313) Thucyd. I. 82. *ἀνεπίφθονον δὲ ὅσοι ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ὑπ' Ἀθηναίων ἐπιβουλευόμεθα μὴ Ἕλληνας μόνον, ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προςλαβόντας διασωθῆναι.*

314) Primi capiuntur, Thucyd. II. 67. cf. Aristoph. Acharn. 647. Herodot. VII. 137. Diod. XII. 41. — Spartanis deinde Artaxerxes in epistola, quae in Atheniensium manus venit, respondit, Thucyd. IV. 50, se *οὐ γιγνώσκειν ὅ, τι βούλονται.*

315) Artaxerxes usque ad septimum belli Pelopon. annum vixit, Thucyd. IV. 50. Diod. XII. 64. Ei succedit post brevissimum Xerxis II regnum a Thucydide ne commemoratum quidem, Darius Nothus Diod. XII. 71.

satrapae Tissaphernes [316]) et Pharnabazus [317]) Spartanos ipsi in Asiam vocarent, „ut et tributa Graecarum urbium, quae rex ab iis postulavit, exigere possent, quod hucusque Athenienses impediverant, et Amorgem rebellem devincerent." [318])

Tissaphernes, cui primum auxilium miserunt [319]) quoque die cuique militi drachmam Atticam suppeditare pollicitus est, quod tamen stipendium in unum tantum mensem plenum dedit et deinde tres duntaxat obolos soluturus erat, donec rex plenam drachmam concessisset [320]). Hermocrate tamen renitente eo inductus est, ut quinis navibus menstrua talenta tria, ideoque singulis navibus triginta sex minas et viritim [321]) octodecim drachmas in mensem, ergo $3^3/_5$ obolos in diem tribueret [322]). Sed cum Alcibiades ad Tissaphernem confugisset, *ἐκάκου πρὸς αὐτὸν ὅσον ἐδύνατο μάλιστα τῶν Πελοποννησίων τὰ πράγματα, καὶ διδάσκαλος πάντων γιγνόμενος τήν τε μισθοφορὰν ξυνέτεμεν, ἀντὶ δραχμῆς Ἀττικῆς ὥστε τριώβολον καὶ τοῦτο μὴ ξυνεχῶς, δίδοσθαι* [323]).

---

316) Lydiae et Cariae praefectus, ideoque etiam Joniae, cui sub ejus imperio Tamus praeerat (*ὕπαρχος*), Thucyd. VIII. 31. 87. ut Antandro Astacus, ib. 108. Krueger, p. 359. not. 53. — Egregie de eo disputavit Manso, III. 2. p. 28—43. fuit *στρατηγὸς τῶν κάτω*. Thucyd. VIII. 5. de quo sufficienter disseruit Schneid. ad Xen. Anab. I. 1. 2.

317) Obtinebat *τὴν Δασκυλῖτιν σατραπείαν*, cujus caput erat Dascyllium. Xen. Hellen. IV. 1. 15. Provinciarum ad Hellespontum — Phrygiae, Bithyniae, Mysiae et Aeolidis — praefectus. Manso, I. I. p. 30. sqq. Krueger, I. I. p. 353. Goeller ad Thucyd. VIII. 6.

318) Poppo prolegg. in Thucyd. I. 2. p. 92. Thucyd. VIII. 5. 6. — Amorges fuit spurius filius Pissuthnis, Sardium praefecti, qui a rege Dario Notho defecerat (Thucyd. I. 115.) et qui, cum pater proditione captus esset, bellum contra Tissaphernem continuavit. cf. Krueger, I. I. p. 352. sqq.

319) Alcibiadis potissimum opera, Thucyd. VIII. 6 et 8.

320) Thucyd VIII. 29. cf. 5.

321) Si statueris singulas triremes ducenis viris fuisse impletas. cf. Manso, Sparta, II. p. 455. sqq.

322) Thucyd. VIII. 29. ibique Goeller.

323) Thucyd. VIII. 45. „Ergo conjeceris etiam posthac quoque drachmam Atticam iis datam esse. Haec difficultas ita videatur expedienda esse, ut statuatur, pacta quidem in quinas naves nonnisi tria talenta, quae rex solveret, in singulos menses fuisse, sed Tissaphernem ex suis duo talenta addidisse, ut quotidiana hominis merces drachmae Atticae esset. Sed nec probabile est, Tissaphernem tantos sumtus fecisse, neque haec explicatio cum Xenoph. loco satis concinnit, ubi Cyrus dicit: *εἶναι τὰς συνθήκας οὕτως ἐχούσας, τριά-*

Mirum est, quod in primo cum Tissapherne pacto [324]) nihil prorsus de stipendio constitutum sit, et in secundo [325]) tantum: „Rex exercitui, quantus a se advocatus in suis finibus esset, ei stipendium praeberet." Ne tertio quidem pacto [326]). „Classi, quae nunc adest, stipendium ex pacto Tissaphernes suppeditato, donec regia classis venerit. Quae ubi advenerit, si Lacedaemonii sociique suam classem alere velint, Tissaphernes hoc illis praebeto. Lacedaemonii vero sociique finito bello pecunias Tissapherni reddunto quascunque ab eo acceperint," certam mercedis summam pactam vides; quod Kruegerus [327]) ita explicare studet, ut censeat: nisi apud Thucydidem aliquid exciderit, eo confugiendum videri, ut statuatur, summam a Xenophonte disertis verbis dictam [328]) propterea in foederibus non diserte expressam esse, quod ea ordinaria merces fuerit. Cum vero Tissaphernes neque Phoenissas naves arcesseret, neque stipendium perpetuum ac solidum praeberet cumque Tamus quoque, a quo, donec ille Aspendi versaretur, stipendium solutum iri promiserat, id nec melius nec promtius solveret: Mindarus tandem Peloponnesios, inopia oppressos, ad Pharnabazum duxit qui largis promissis eos advocaverat [329]). „Neque erat, quod hujus consilii eum poeniteret. Nam etsi

---

κοντα μνᾶς ἑκάστῃ νηῒ τοῦ μηνὸς (i. e. *τριώβολον ἑκάστῳ ναύτῃ τῆς ἡμέρας*) *δίδοναι*. Hellen. I. 5. 5. Abs quo Lysander aegre impetrat, ut quatuor oboli quotidie viritim darentur. Nunc autem Peloponnesii tanto magis eadem fere summa contenti esse poterant, quod *τὰ ἐκ τῆς Ἰάσου μεγάλα χρήματα διαρπασθέντα ὑπῆν τοῖς στρατιώταις*. Thucyd. VIII. 36. Haec cum ita sint, suspicor, verba *ἀντὶ δραχμῆς Ἀττικῆς* e margine irrepsisse, adscripta ab aliquo, qui antea (c. 29.) eam fuisse mercedem meminerat." Krueger ad Dionys. p. 354. 55. — Goeller ad Thucyd. l. l. II. p. 401. tamen ea verba non ejicienda censet, sed ita explicat: quam non accipiebant, sed poscebant

324) Thucyd. VIII. 17.

325) Ib. VIII. 37. cf. Manso, II. p. 269. v.

326) Ib. VIII. 58.

327) Ad Dionys. p. 355. „Pactam tamen jam antea fuisse, conjecerit aliquis e verbis *κατὰ τὰ ξυγκείμενα*. Sed haec verba eo videantur referri posse, quod in universum promissum erat, *τὴν δαπάνην βασιλέα παρέχειν*.

328) Hellen. I. 5. 5. *τριάκοντα μνᾶς ἑκάστῃ νηῒ τοῦ μηνός*. — In universum Lacedaemonios 5000 talenta accepisse auctor est Isocrat. de Pace 32. cf. Manso, II. p. 492.

329) Thucyd. VIII. 78 — 59.

plures ibi calamitates Peloponnesii experti sunt, Pharnabazus tamen summa fide et constantia eos adjuvabat, neque vitae, nec copiis suis parcebat, afflictos consolabatur, ad inopiam redáctos largitionibus sublevabat donec Cyri liberalitas desperatas eorum res denuo erexit"[330]. Nam hic magis etiam Pharnabazo Lacedaemonios adjuvit[331], jam statim ab initio iis amicus[332], quamvis Tissaphernes, Alcibiadis artibus permotus, eum hortaretur, ne utram partem victricem redderet, sed potius alteram alteram conterere sineret[333]. Lysander ambitiosum juvenem ad suae reipublicae commoda arctius adstrinxit, seque apud eum insinuavit ita, ut pollicitus sit: si quingenta talenta, quae a patre accepisset non sufficerent, se non dubitare de de suis alia addere, quin, si ea quoque essent consumta, solium, quo sedeat, ex auro argentoque factum se contusurum[334]; quamvis Atticam drachmam, quam Lysander postulaverat, ut Atheniensium classiarios ad se pelliceret, ille non suppeditaret, tamen diurnum stipendium obolo auxit[335]. — Minus Cyrus simplici et recto Callicratidae animo favebat, quare fortasse stipendio prolatando[336]) efficere conabatur ut Lysandrum Spartani remitterent. Sed cum vidisset, fieri posse, ut Lacedaemonii in quoddam certe tempus ejus opibus carerent, ne eos abalienaret, stipendium postea misit[337]. Tunc enim Cyrus jam nimium Spartanis adstrictus fuisse videtur, expeditionem adversus fratrem Artaxerxem jam in animo volvens[338]. Maxime vero Spartanis profuit, cum Susa abiens Lysandrum quasi in locum suum substitueret, omnesque pecunias, quae

---

330) Krueger ad Dionys. p. 361.

331) Thucyd. II. 65. ὅ (Κῦρος) παρεῖχε χρήματα Πελοποννησίοις ἐς τὸ ναυτικόν· fuit Κάρανος τῶν ἐς Καστωλὸν ἀθροιζομένων. de quo v. Schneid. ad Xen. Hellen. I. 4. 3. et Bornemann ad Anab. I. 1. 2.

332) Xen. Hellen. I. 4. 2. et I. 5. 3.

333) Xen. Hellen. I. 5. 9.

334) Xen. Hellen. I. 5. 3.

335) Ib. 4. sqq. ἐκ δὲ τούτου τέτταρες ὀβολοὶ ἦν ὁ μισθὸς, πρότερον δὲ τριώβολον.

336) Xen. Hellen. I. 6. 7. Καλλικρατίδας δὲ, ἀχθεσθεὶς τῇ ἀναβολῇ, καὶ ταῖς ἐπὶ τὰς θύρας φοιτήσεσιν ὀργισθείς κ. τ. λ.

337) Xen. Hellen. I. 6. 18.

338) cf. supra p. 63. n. 150.

ex urbium tributis superessent, ei condonaret, ut multo majorem Atheniensibus classem comparare posset [339]).

Quanta haec summa fuerit ex eo conjici potest, quod Lysander non solum ducentas naves exstrueret [340]), sed etiam quadringenta et septuaginta talenta argentea bello finito, Spartam secum ferret, praeter dona et pecuniam aliunde sumtam [341]). Persarum opibus Spartanorum imperium maritimum adductum esse ex ejusdem civitatis historia posteriore apparet. Nam cum Dercyllidas et Agesilaus Persarum fines hostiliter peterent et Pharnabazus Atheniensium rebus indulgeret, mox horum classem mare iterum in potestate habentem videmus, quamvis Sparta tunc temporis per Lysandrum et pecuniis et navibus [342]) quam optime esset exstructa et initio Asiae civitates certarent ut liberatoribus suis praeter constitutum tributum [343]) tam opes quam naves promtissime largirentur [344]). Hanc fortasse ob rem etiam Nephereum Aegypti regem sibi conciliare studebant, ut eandem provinciam susciperet, quam bello Peloponnesiaco Persarum rex obtinuerat [345]). Opus erat Antalcida, qui, ut antea Lysander, Lacedaemonios cum Persis reconcilians, iterum mari victores redderet.

---

339) cf. supra p. 64. n. 161.
340) Xen. Hellen. II. 2. 5.
341) Xen. Hellen. II. 3. 8. cf. Plut. vit. Lys. c. 17. et de eorum differentia. Manso, II. p. 352. not. i. et p. 372. sqq.
342) Atheniensibus Lysander omnes triremes praeter XII. demserat. Xen. Hellen. II. 3. 8. Elei, teste Diod XIV. 34. foedere icto omnes naves Spartanis tradere debebant. Xen. tamen Hellen. III. 2. 30. sqq hanc conditionem prorsus omittit.
343) cf. Diod. XIV. 10. cf. supra.
344) Xen Hellen. III. 4. 28. *Ἀγησίλαος — — ταῖς πόλεσι παρήγγειλε ταῖς ἐν ταῖς νήσοις καὶ ταῖς ἐπιθαλαττιδίοις τριήρεις ποιεῖσθαι, ὁπόσας ἑκάστη βούλοιτο τῶν πόλεων. Καὶ ἐγένοντο καιναὶ, ἐξ ὧν αἵ τε πόλεις ἐπηγγείλαντο, καὶ οἱ ἰδιῶται ἐποιοῦντο, χαρίζεσθαι βουλόμενοι, ἐς εἴκοσι καὶ ἑκατόν.*
345) Diod. XIV. 79. *Λακεδαιμόνιοι μὲν πρέσβεις ἀπέστειλαν πρὸς Νεφερέα τὸν Αἰγύπτου βασιλέα περὶ συμμαχίας· ὃς ἀντὶ τῆς βοηθείας ἐδωρήσατο σκευὴν τοῖς Σπαρτιάταις ἑκατὸν τριήρεσι, σίτου δὲ μυριάδας πεντήκοντα*, ibique Wesseling. cf. Justin VI. 2.

INDEX.

Hoc debemus virtutibus ut non praesentes solum illas, sed etiam ablatas e conspectu colamus.

Seneca de benef. L. IV.